BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXVII
A
1
NAPOLI

60

XXVII a. 1

Digitized by Google

VIII. F. 30

Digitized by Google

GABRIELIS COSSARTII E SOCIETATE JESU

ORATIONES ET CARMINA.

PARISIIS,
Apud ROBERTUM PEPIE Bibliopolam
Pariſienſem, viâ Jacobæâ, ſub ſigno
Sancti Baſilæi.

M. DC. XC.

CUM PRIVILEGIO REGIS.



ERUDITÆ JUVENTUTI

CONVICTUS PARISIENSIS

IN REGIO

LUDOVICI MAGNI

COLLEGIO,

A Patribus Societatis Jesu

INSTITUTÆ,

R. P. Gabrielis Cossartii *ejuſdem Societatis Sacerdotis*,

Opuſcula Oratoria & Poëtica

SECVNDÆ EDITIONIS,

D. D. C.

Robertus Pepie Bibliopola Pariſienſis.

ã ij

Digitized by Google

ERUDITÆ JUVENTUTI
CONVICTUS ARISIENSIS
IN REGIO
LUDOVICI MAGNI
COLLEGIO,
A Patribus Societatis JESU
INSTITUTÆ,
R. P. GABRIELIS COSSARTII *ejuſdem Societatis Sacerdotis*,
Opuſcula Oratoria & Poëtica
SECVNDÆ EDITIONIS,
D. D. C.
ROBERTUS PEPIE BIBLIOPOLA Pariſienſis.

Digitized by Google

IN

OBITUM
GABRIELIS COSSARTII
EPICEDIA.

NAtus eſt Gabriel Coſſartius Pontiſaræ, in Vexino Francico, familia nobili, poſtridie Kal. Novemb. anno Chriſti CIↃ. IↃC. XV. Anno deinde ætatis circiter decimo octavo in Societatem JESU admiſſus, perfunctuſque variis in locis docendi munere, Rhetoricam demum Lutetiæ Pariſiorum ſingulari doctrinæ fama ſeptem annos profeſſus eſt. Quo tempore orationes habuit eas quinque; quæ tunc ſeparatim editæ, & exceptæ maximo plauſu, nunc autem collectæ exhibentur.

Quanta fuerit ejus in dicendo copia, oſtendunt panegyrici ad Regem duo; non ſtylo minus, quam tempore inter ſe diverſi; tum illa ad Armandum Borbonium gratiarum actio. Quanta vero ejuſdem fuerit & quam expedita vis, probant ea quæ adverſus doctrinæ novitatem meditate; tum quæ ex tempore, in Rami novitatiſque defenſorem, maxima hominum admiratione di-

xit. Quæ quidem oratio, abſque inſcriptione foret, multarum vigiliarum opus merito haberetur: habeturque omnium judicio longe optima, & exacta ad perfectiſſimam eloquentiæ formam; & ab acuto illo ac juvenili genere, quod aliquando amaverat, remotiſſima.

Par in carminibus varietas. Ut enim erat ejus ingenium in quamcumque formam libuiſſet, non tam impetu ac natura, quam ratione & judicio flexibile; nec poeſim quaſi propriam artem colebat ut plerique, quorum idcirco intereſt unum eumdemque perpetuo tenorem & characterem ſervare: ita numeris, modo cum Virgilio gravibus, modo cum Statio tumidis, cum Horatio ſolutis, cum Ovidio facilibus utebatur; pro re, & tempore, & eorum captu atque ſenſu, quorum in gratiam uſumque ſcribebat. Idcirco utile viſum eſt, & tempus & ſtylum carmini cuique ſuum inſcribere, ut ætatis conſiliique ratio aliqua haberetur; neque ea quæ ad exercendos in ſchola diſcipulos Ovidiano more ac modo effuderat, omnia colligere; ſed eorum quaſi excerpere florem, cætera quæ minus habebant amœnitatis, amputare.

Scholis egreſſus, poeſim vix deinde attigit; nec niſi invitatus & quaſi coactus

ab amicis, quorum rogatu Vechianam imaginem & Mortis apologiam ſcripſit: ſponte quam pauciſſima; nec fere quicquam, præter epiſtolam Horatii ſtylo unam alteramve, quam ſibi ex omnibus ſuis minime malam videri interdum fatebatur.

Reliquam ætatem dedit gravioribus literis, imprimis Conciliorum maximæ editioni, quam inchoatam ſummo labore a Philippo Labbeo, ipſe accuratiſſimo ſtudio perfecit, & octodecim voluminibus univerſam complexus eſt. Quo perfunctus opere, dum alia meditatur, febri deceſſit Lutetiæ Pariſiorum, in Collegio Societatis Jesu, xiv. Kal. Octob. Anno Chriſti cIↃ. IↃc. lxxiv. ætatis lix. Vir ingenio facili peræque ac ſublimi, doctrina multiplici, moribus commodis: religione in Deum, pietate in pauperes, multo etiam quam cæteris laudibus inſignior.

DE OBITU COSSARTII.

QUi blandi ſtudiis Coſſartus floruit oti,
  Et tot inexhauſto pectore clauſit opes:
Ille; Per humanas, inquit, ſat luſimus artes:
  Jam Divina libet viſere, terra vale.

Petrus Daniel Huetius.

GABRIELIS COSSARTII

TUMULUS.

Vos placidi manes, vos umbræ; animæque ſilentum,
Parcite, carminibus ſi veſtra ſilentia turbem.
Ille meus ſtudiorum, idem morumque magiſter
Occubuit Coſſartus; & alta in nocte reliquit
Mœrentes Muſas, doctas & Apollinis Artes.
Sint alii triſtem tumulum qui floribus ornent:
Pallentes violas, & purpureos hyacinthos,
Et pro more ferant accenſi thuris honores.
Vulgaris pompa hæc fuerit vulgaribus umbris:
Longe alios, Coſſarte, tibi meditamur honores.
Primus ego ante alios longe mœſtiſſimus omnes
Olli qua tumulum triſtes poſuere Camenæ,
Pulvere conſperſus caput, & ſubpallidus ora,
Lamentis implebo locum: dextraque tremente
Fumantem attollens tædam, turbatus & amens,
Coſſarti ſacra vixdum tellure repoſtos:
Luſtrabo cineres: mox terque quaterque vocabo
Illius ingentem querulis clamoribus umbram.
Hic aderunt mecum, jam ingloria turba, poetæ:
Omnes funereis evincti tempora vittis,
In tumulum immotis defixi obtutibus omnes.
Confuſos inter gemitus lugubre ſonantes
Impellent citharas: & amabunt ducere voces,
Quales nupta ſolet cari poſt fata mariti.
Luctus ubique, & ubique dolor. Mors neſcia flecti
Secum Umbras, Noctemque trahet, diraſque ſorores.
Si flecti eloquio potuiſſet, care magiſter,
Nunc oculoſque tuos, tua nunc ſimul ora tueri,
Et dantem præcepta iterum te audire liceret.

Illum Muſæ omnes, illum ſibi poſcet Apollo
Nequicquam: vobis ſilet, æternumque ſilebit.
Sed quid ego hæc autem! Coſſartum æterna loquentur
Quæ ſcripſit ſeris monſtranda volumina ſeclis.
Illius immenſas non uno carmine laudes
Alterni repetent cantu, quibus ore profundo
Mens viget & magnos agitat ſub pectore ſenſus,
Magni oratores: Coſſarti dicta retexent,
Attollent facta egregia: ut proſtraverit hoſtes
Fulminibus verborum, omni dum ex parte vagantur
Tartareæ peſtes rupto ex Acheronte profectæ,
Quæ nova in antiquos ſpargebant dogmata ritus.
Oſtendent alii, pro religione tuenda,
Seclorum tot opes, congeſta volumina patrum,
Depoſitamque fidem, decreta antiqua priorum:
Quos denſæ eripuit nocti & crudelibus umbris
Coſſartus, dubiis infundens lumina rebus.
Tum quæ conciliis manifeſto numine pleni
Dictavere patres, manibus pia ſcripta tenebunt.
Et Pietas, & cana Fides, & nuda Vetuſtas.
His radiis induta, nova ſub luce micabit
Religio, puro populos & lumine paſcet.
Sub pedibus domiti Errores, Fraudeſque recectæ,
Et maleſuta frement poſitis Mendacia larvis.
Hic peplo velatæ Artes manifeſta doloris
Signa dabunt. Toto Facundia pallida vultu,
Sciſſa comas, & tunſa ſinus muta ora tenebit;
Et, quibus illa placet, non amplius illa placebit
Illecebris: verba egregia, artificeſque figuræ,
Fandi mille artes, vana ornamenta jacebunt.
Juxta, pallidior numeros oblita Poeſis
Grande ſupercilium & præclara inſignia frontis
Ponet, & incipiet Latios dediſcere faſtus,

Tum citharas & plectra, tubas calamoſque refringet;
Triſtes exuvias, & inania munera vatum.
Illius imponet memori figetque ſepulchro.
At dum quiſque ſuo ſtudet indulgere dolori,
Non adero pompæ vanus ſpectator. Adeſte,
Artifices magnorum operum, celebreſque magiſtri;
Ipſe implebo meas tanto pro funere partes.
Excelſam, ingentem, Pario de marmore ponam
Pyramidem, magno incumbat quæ multa ſepulcro!
Illa quidem invidiam contra annorumque ruinam,
Sculpta laboratis feret argumenta metallis.
Hic, Coſſarte, tuum facili excudatur in auro,
Quo ſeptemgemini ſonuerunt undique colles,
Sacrum, auguſtum, ingens, & non imitabile carmen.
Cernere erit triplices, diademata ſacra, tiaras,
Stemmataque, & pictos grandi ſub imagine vultus;
Ipſum & *Vechiaden*: foſſus qui pectore ferro,
Barbaricis tua, Chriſte, ſonat dum nomina terris,
Purpurea meruit caput inſignire corona.
Addam, cum Latii quondam foret arbiter oris,
Judice ſub tanto non ipſis credere Muſis,
Non ipſi vates voluiſſent credere Phœbo.
Addam tot noctes, vigilataque ſcripta tot annos,
Tot præclara reperta, indefeſſoſque labores:
Si quando altarum tractaret pondera rerum,
Oſtendam, ut rivis doctrina undaret apertis.
Hic ſcuto rapidum flumen cælabitur aureo,
Captivos fluctus ripis evolvere iniquis
Impatiens: victor tandem & ſibi redditus amnis,
Exultans campo jam liberiore vagari,
Divitias undarum omni cum flumine pandet.
Illic ſub variis proponat multa figuris
Artificum manus, & ſtellas in nocte micantes,

Sideraque, & poſitos ſummis in turribus ignes ;
Qui faciles portus vicinaque litora monſtrent.
Parte alia in teneros ſe flores plurimus imber
Deſuper effundat : redivivi hoc munere flores
Attollant capita, & cælo lætentur amico.
Fas erit hic veros dulci ſub imagine ſenſus
Perlegere, & magnas Coſſarti agnoſcere dotes :
Ut quondam cæli magno inflammatus amore ;
Arderet juvenum teneros componere mores.
Hunc quoties, tenui nondum auſus fidere Muſæ ;
Famæ avidus juvenis clam conſulturus adibam :
Ille quidem noſtros tollebat ad æthera verſus ;
Et me digna loqui, me cedro ſcribere digna,
Atque inhians pendere meo fingebat ab ore.
Protinus illectam per tot præconia mentem
Flectebat, me multa docens ; magnique Tonantis
Concilia abſtruſa, & totum referabat Olympum ;
Quærere me fruſtra magnum per carmina nomen :
Longe alios animi exuperans ſignabat honores ;
Sed vaſto Oceano longum maris æquor arandum,
Tum brevia & ſyrtes & navifragas Sirenas
Monſtrabat, facilemque viam curſumque docebat ;
Omnia quæ puro deſcribam carmine vates.
Nec, Coſſarte, tuos obitus, ſupremaque fata
Prætereạm. Duro in ſaxo teſtabor amorem
Ipſe meum. Vidiſtis enim, & memorare poteſtis,
Quicumque incolitis Clarii juga ſacra poëtæ.
Me miſerum! his oculis vidi hanc procedere pompam
Ordine flammarum longo : vidi ipſe magiſtri
Exequias triſtes & lamentabile funus.
Ibant pullati, dejectique ora ſodales,
Et longum per iter carmen ferale canebant.
Coſſarti procul aſpicimus miſerabile corpus
Impoſitum molli feretro : quem torrida febris

Abſtulerat, crudæ ſub tempora prima ſeneƈtæ.
Ut vidi preſſos oculos, pallentiaque ora:
Quos ah! tum gemitus, quæ tum lamenta per auras!
Hos gemitus audiſtis, & hæc lamenta, Camenæ.
Extremum adjiciam, quantos mea Gallia luƈtus
Fuderit, ut triſtes ululârint undique Muſæ.
Mœſtior una tamen ſtudiis quæ præfuit olim
Melpomene, hos verſus dileƈto inſcribet alumno:
Exilio e longo quas ille reduxerat artes;
Has moriens traxit ſecum, conditque ſepulcro.

SANTOLIUS Viƈtorinus.

IN FUNERE

GABRIELIS COSSARTII.

POſtquam vitales liquit Coſſartius auras,
Lutetia ingentem dum mœſta efferret alumnum:
Ipſe ego turbatus communi peƈtora luƈtu
Ibam in ſeceſſum nemorum; quo me altus agebat
Imo in corde dolor. Quantum tibi lumen ademptum
Gallia! quantum uno, dicebam, in funere perdis!
Quantus erat, quas non vaſto comprenderat artes
Ingenio! quam multiplicis noſſe intima linguæ,
Et ſacros Sophiæ ſolers penetrare receſſus!
Scriptorum ſeu difficiles diſſolvere nodos,
Sive opus e priſcis exempla recondita ſeclis
Promere continuo; nam quis præſtantior alter?
Quis non eloquii divinum robur, & acre
Judicium, aut natam miratus ad omnia mentem?

Hæc & plura, vetant triſtes quæ dicere Muſæ,
Volvebam: interea torpor gravis occupat artus.
Fluminis ad ripam ſedeo, qua plurima mollem
Præbuit herba torum. Lentis hic flexibus amnis
Triſte ſonans, & quæ ſylvis immurmurat aura,
Et querulæ volucres, & amica gementibus umbra,
Inducunt placidum per languida membra ſoporem.
Ecce autem, ſeu vera dolor ſibi ſomnia fingit;
Seu ſimulacra, prius vigilem quæ plurima mentem
Perculerant, una ſomnus ſub imagine junxit:
Ignotas ſubito videor mihi raptus in oras.
Planitie in magna, qua purior ætheris aura
Elyſios blando referebat lumine campos:
Templum erat auguſta ſurgens ad ſidera mole.
Ante fores templi pratis in mollibus ævum
Læti agitant, doctas olim quicumque per artes
Inſignem meruere æterna in ſæcula famam.
Dextram oratores; lævam, queis carmina cordi,
Quos citharæ cantuſque juvant. It tempora circum
Omnibus Aonio contexta e flore corona.
Hinc quibus Hebræas audire & reddere voces
Cura erat; aut Arabum Grajumque; & quotquot Eoæ,
Occiduæ quot ſunt, varias addiſcere linguas.
Parte alia quibus ætatis monimenta vetuſtæ
Excutere, aut priſcos ſtudium eſt evolvere ritus:
Et quos præterea fuerit mora longa referre.
Dumque oculos circum intentus per cuncta ferebam:
Continuo lætis reſonat clamoribus æther.
Reſpicio. Subit ecce ingens Coſſartius: illum
Gloria ſublimem curru fulgente vehebat.
Primus occurrit vatum chorus omnis, & ire
Ardet in amplexum. Salve o, cui Gallia plauſit:

Seu cum *Thiopoli* ex alta famam ire juberes,
Et populis late *Enguinei* memorare triumphos;
Seu vos, *Niverides* Nymphæ, & te *Mantua*, triſte
Principis amiſſi fatum deflere doceret.
Ipſe tuos geſtit meminiſſe, & dicere verſus
Applaudens Tiberis: nec tantum clarus Apelles
Fortis Alexandri vultum referente tabella;
Quantam *Vechiada* famam tibi fecit imago.
Ergo ades, & noſtris comitem te cœtibus adde:
Noſter eris. Nec te pigeat, vir maxime, vatum
Cenſeri numero: nos Divum cura vocamur.
Ipſi etiam magnis virtus quos inclyta factis
Evexit cælo, Muſas & carmina amarunt.
Contra oratores: Veſtram non ille per artem
Tantus erat, tantum meruit nec carmine nomen.
Multa quidem priſcis non inferiora poetis
Quondam etiam juvenis, pro tempore, luſit: at olli
Præcipuam ingenii peperit facundia laudem.
Teſtis erit Muſis mons Clarus & hoſpite Phœbo,
Lutetia ex omni quo turba effuſa ruebat.
Seu caneret *Lodoicum armis*, & *pace* potentem;
Seu tibi *Borbonidum* proles, *Armande*, referret
Pro dulci hoſpitio Muſarum nomine grates:
Seu Stygiis auſam *Novitatem* erumpere clauſtris,
Et regno triſte exitium ſacriſque parantem
Protereret. Senſit cauſæ maleſanus iniquæ
Defenſor, quantum dicendo *ex tempore* poſſet.
Dumque hunc diviſi ſtudiis adjungere cœtu
Quiſque ſuo certant: Ultra ne tendite, dixit
Gloria: quæ quondam cecinit, ſervate poetæ;
Voſque oratores quidquid vena ubere fudit
Eloquii cedro inſcriptum ſervate perenni.
Quin etiam huic ſtatuam, ſi ſic placet, ocyus artes

Erigere hic properent. Genius plaudentibus alis
Deſuper incumbens, viridi de fronde coronam
Ipſe ſuis manibus circum ſacra tempora nectat.
Hanc circum vates adſint fandique magiſtri,
Aut alia quicumque inſignis floruit arte.
Adſint, & Sophiæ ſacrum & venerabile numen,
Et divinarum ſuprema ſcientia legum,
Virtutumque omnis læto chorus agmine plaudat.
Hæc adeo æternum vobis ſervetur imago:
Sit ſatis hoc. Ipſe eſt alia mihi ſede locandus.
Et templum oſtendens: hæc illi debita ſedes.
Dixerat: impulſo panduntur cardine portæ,
Lux micat: apparent poſiti longo ordine patres
Concilium auguſtum, quales oracula quondam
Conſeſſu in magno ſacris de rebus habebant.
Huc ſubit exiliens curru Coſſartius: illum
Gloria deductum templi penetralibus infert,
Fit plauſus: fugit attonito de pectore ſomnus.

JACOBUS DE LA BAUNE, S. J.

AD ANT. VERJUSIUM S. J.

IN FUNUS

GABRIELIS COSSARTII.

ODE.

DOctæ vix ego *Vinea*,
Cui regina ſuam Melpomene lyram,

Summo munere, fortium
Ad dicenda virum prælia ceſſerat;
Doctæ vix ego *Vinea*
Flendos late obitus plangere cœperam.
Cum tu me, bone Verjuſi,
Ex his ire alias in querimonias
Coſſarti exequiis tui,
Blanda triſte gemens ſollicitas prece.
Illo nempe ſuperſtite
Veſtri ſæva nimis fata Petavii
Sirmondique ſagacis, &
Mambruni Auſonia præcipui tuba,
Gens Ignatia jam minus
Flebatis querulo funera pectore.
Verum qui potes hunc novis
Romani fidibus pangere barbiti,
Quid me carmina flagitas?
Me longe melius vate procul canes
Ut puri teretem eloqui,
Sublimemque animi ſemper, & undique
Denſis obſita nubibus
Obtutu penetrantem omnia lynceo,
Et Suada & Sophia & chorus
Omnis Caſtalidum cingere amaverint:
Ut mox grandia carmina,
Divinique modorum æmula Virgili,
Magni ſponte ſacraverit
Umbris *Vechiada*, quem manus impia
Pro Chriſto haud timidum mori
Ferro tranſadigens vexit ad æthera,
Addes his quoque dotibus,
Ut rupta in ſuperas monſtra recens domos
Ima de Styge, perfido
Virus mortiferum per male credulas
Mentes ſpargere dogmate,

Cœtu

Cœtu conſpicuo, quæ calami prius
Certa cuſpide fixerat,
Linguæ proruerit fulmine vindicis.
His ergo his numeris, quibus
* Fratrem tam celebrem, tam ſubita tibi
Subductum nece congemis,
Coſſarti indigetis fle ſimul aſperum
Funus. Fors erit ut tuis
Lamenta ad patria fletibus excites
FERNANDUM, Aonii decus
Tutelamque chori: qui Latiis dolens
Vatens eximios modis
His fraudari opibus, quas licet impari
Cantu Gallica ſplendidas
Dudum Muſa refert; non placido prope
Solus lumine reſpicit,
Et magno e Padera quem bene temperat,
Largis muneribus beat.
Sed quis de Clario monte, quis interim
Tam gratum mihi perſtrepit?
Coſſartique canens tot decora inclyta,
Omnes ex Heliconiis
Muſas verticibus devocat? ut gravem
Friſonis citharam tui,
Facundique Ruæi attonitis melos
Inſigne auribus haurio!
Huic, o Verjuſi, & huic rite canentibus
Sacro digna ſilentio
Actutum tacita plaudere amem lyra.

C. DU PERIER.

* Joannem Verjuſium Abbatem, Antonii germanum.

COSSARTIUS AD AMICOS NE SUUM E MORTALI VITA EXCESSUM LUGEANT

Ne mihi, ne gemitu indigno turbate quietem:
Tumulumque mœſtis irrigare fletibus
Deſinite, o vates. Nec enim, ſi veſtra dolorem
Cohibere pietas renuit & conſtans amor,
Noſtra etiam triſtes patitur fortuna querelas,
Planctuſque recipit obligatos funeri.
Vivimus: & ſpolium de corpore mors habet uno:
Quod amaſtis in me, quod fui Coſſartius,
Non rapuit. Manet ingenium poſt fata ſuperſtes,
Animuſque veri cupidus & recti tenax.
Quam juvat immoto gaudentem inſiſtere recto,
Neſcire veſtræ ſortis ingratas vices;
Et dubiam, celeremque humano pectore labi,
Non poſſe morum perdere innocentiam!
Quam dulce eſt ſine nube ipſum deprendere verum,
Mundique cauſas fonte mirari in ſuo;
Æternam ſitim æterno reſtinguere potu:
Seſe fruendum largientis numinis!
Hic legere, inque uno fas omnia diſcere verbo.
Et quod librorum tot mihi volumina,
Tot fando nunquam potuere evolvere linguæ;
Sine voce reſerat eloquens ſilentium.
Diſcendi labor omnis abeſt: infuſaque menti
Oblivionem non timet ſcientia.
Cumque olim innumeris confuderit ora loquelis
Mortalium audax ſcandere in cælum furor;
Sermo unus placuit ſuperis, & fœdere pulchro
Conjungit idem pectora & linguas amor.
Hic & *Concilia* & cœtus ſpectare piorum
Meo adſidentem Labbeo demum licet:

Et conjuratos Chriſtum defendere Patres,
Seu voce dimicandum & ardenti ſtylo,
Sive fides ſparſo fuit obſignanda cruore.
Hos multiformis Error, & fœdam aſpici
Hæreſis obvelans faciem, gremiumque parentis
Diſcerpere atrox ſchiſma, pellaci, & manu
Jucundum *Novitas* docilis miſcere venenum,
Horrent, metuque ſub Styga occultant caput.
Me quoque pars tanti ſpectat nonnulla triumphi:
Calamoque & ore vindicaſſe cælites;
Ingens nunc pretium, mereeſque refertur Olympo.
Vati rependit *Vechius* grates ſuo;
Atque immortales dat circum tempora lauros,
Sacro coronam delibutam ſanguine.
Auratiſque adeo tecum *Franciſce* quadrigis,
Memor dicati carminis, Solem ſuper
Stellarumque domos lætantem tollis: Averni
Seu cum reviſis Japonem ereptum jugo,
Et tandem edoctos Chriſto ſuccumbere Sinas;
Seu templa crebra ſupplicum excitus prece
Ingrederis, toto quæ plurima condidit orbe
Tuoque Pietas conſecravit nomini.
Sunt etiam nobis, ut quondam, nunc quoque cordi
Verſuſque, tibiæque, & argutis fides
In numerum pulſæ digitis. Rapit entheus ardor
Animos volentes: & diſertæ carmina,
Inſpirante Deo, fundunt ex tempore linguæ:
Queis aula cæli plaudit, & ſuperum chorus
Mirando favet omnis. Et eſt audire voluptas,
Non fabuloſi vana Pindi ſomnia,
Grajorumque efficta modis mendacia miris;
Non additum atis atque adoratum nefas:
Sed cantus ſacros, quibus eſt Deus argumentum
Ingens, perenne, neſcium faſtidii,
Uſque placens; quod nec cantu exhaurire facultas,

Cultu nec ullo majus efficere ingeni.
O utinam ſpreto famæ popularis amore,
Aulæque nimium lubricis favoribus,
Materies veſtri poſthac ſit carminis unus
Dignum labori redditurus præmium
Terrarum cælique pater! cui dextra creatrix
Cum promat ultro quas dat immenſas opes,
Ipſe ſuis geſtit ſeſe ſuper addere donis.
Hac ſorte lætus, his bonis circumfluens
Non merui injuſto cauſam tribuiſſe dolori.
Amici amico ſiccine beato invident?
Gratari potius, decorique applaudere noſtro
Fides monebat. Cur inanes lacrymas
Perditis? ah! ne flete paterna in regna receptum:
Sed flete veſtrum tandiu exilium trahi.

JOANNES COMMIRIUS, S. J.

DE OPUSCULIS COSSARTII.

NE magnum in parvo Coſſartum quære libello,
Majora ingentis ſtant monumenta viri.
Conſilia hunc melius longo inſtaurata labore:
Doctrinæ, ingenii pignora certa, dabunt.
Hinc pete Coſſartum, Coſſarti hæc nomine digna:
Nec monumenta capit tam brevis iſta liber.
At quantum micat ingenium, & doctrina libello!
Vel ſic Coſſartum ſat didiciſſe potes.

PETRUS VILLERIUS, S. J.

AD
CAROLUM RUÆUM, S. J.
ABSOLUTA JAM EDITIONE OPERUM
COSSARTII, ET CARMINUM IN EJUS LAUDEM.

COSSARTI cineres piis rigantur
Dum vatum lacrymis, & undecunque
Ingens carminibus cietur umbra:
Cur ſolus taceam, rogas, Ruæe.
At nobis taciturnitatis illa,
Quam tu nec potes improbare, cauſa.
Nempe me nimius dolor tacere,
In parvas dolor eloquens querelas
ſed magnas taciturnus in querelas
Cogit, vel reliquo loquente vatum,
Et plorante choro. Fuit Suadæ
Hic Coſſartius arbiter colendæ:
Et quas nunc doceo profeſſus artes,
Et quâ nunc ſedeo ſedens cathedrâ,
Clari ſub juga laureata montis.
Idem Pieriæ arbiter catervæ,
Totas pectore continens Athenas,
Totam pectore continenſque Romam;
Et ritus patrios & exterorum,
Et jus Pontificumque Cæſarumque,
Et nodos Sophiæ impeditioris;
Et ſanctæ abdita ſcita diſciplinæ,
Quid non denique, norat & prophanæ
Et ſacræ pater eruditionis?
Jam & noſter erat ſodalis ille,
Et mî præ reliquis amicus ille.

Quid me , quid tibi vis dolor ? tacere
Vel cauſam taciturnitatis ipſam ,
Me luctuque gravi ſtupere cogis.
Ergo carmina me rogare ceſſa ,
Coſſarti ante alios amans Ruæ :
Dolenti haud licet eſſe tam diſerto.
Hunc Santolius , & Pererus , & qui
Id poſſunt alii , canant ſodales.
His laudare vacat , mihi dolere

JOANNES LUCAS. S. J.

FACULTAS P. PROVINCIALIS.

EGO Stephanus De Champs Societatis Jesu in Provincia Franciæ præpoſitus Provincialis, poteſtate ad id mihi à Patre noſtro Joanne Paulo Oliva generali præpoſito facta: facultatem concedo, ut opus inſcriptum, *Orationes & carmina Gabrielis Coſſartii e Societate* Jesu, ab aliquot patribus ejuſdem ſocietatis lectum & approbatum, typis mandetur. In quorum fidem has literas, manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas, dedimus. Pariſiis, 8. Maii, anno 1675.

Steph. De Champs.

EXTRAIT DU PRIVILEGE DU ROY.

PAR Lettres Patentes du Roy, données à Paris le 14. Juin 1675. ſignées Desvieux, & ſcellées du grand ſceau de cire jaune; il eſt permis à Sebaſtien Mabre Cramoiſy, Imprimeur ordinaire de Sa Majeſté, d'imprimer en tel volume, marge, caracteres, & autant de fois qu'il voudra, pendant quinze années conſecutives, le Livre intitulé, *Gabrielis Coſſartii Orationes & carmina*; avec défenſes à toutes perſonnes d'imprimer ou faire imprimer led. Livre, ſous les peines portées par leſdites Lettres.

Regiſtré ſur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, le 28. Iuin 1675.
Signé, D. Thiery, *Syndic.*

Et ledit Sebaſtien Mabre-Cramoiſy a cedé ſon droit audit Privilege à Robert Pepie, ſuivant l'accord fait entr'eux.

LUDOVICO

Digitized by Google



I. C.

LUDOVICO XIV.

PANEGYRICUS I.

PARISIIS KAL. OCT. CIↃ. IↃC. XLV.

SOLEMNIS illa principum, qui maxima quondam imperia condiderunt, vel ſuperſtitio, vel induſtria fuit, PRINCEPS SERENISSIME: ut cum ea conſtituerent primum, cum formanda legibus gerendaque ſuſciperent; exorta divinitus miracula quædam, & oblata de cœlo prodigia mentirentur. Ita enim ſibi merito perſuadebant homines ut in profana vetuſtate ſapientiſſimi, tum demum adjungenda ſibi populorum ſtudia, & excitandam multitudinis venerationem; cum rebus ſuis opinionem Divinitatis aliquam adſciſcerent: ſtatuebantque nihil ſurgere unquam ſublimius poſſe, quam quod cœleſtibus cauſis primordiiſque fundatum eſt; nihil ſtare firmius,

certiuſque defendi, quam quod religione cuſtoditur. Quam illi regnis ſuis dignitatem tam ambitioſe moliti ſunt exquiſitis mendaciis affingere, hanc Divinis beneficiis proviſam imperio ſuo Reges Chriſtianiſſimi gratulantur; agnoſcuntque non ad vanitatem quandam oſtentationis, ſed ad muneris gratiæque prædicationem, plura Deum & illuſtriora Galliæ largiendo conceſſiſſe, quam fingendo comminiſci ſplendidi quondam præſtigiatores potuerint. Fas autem fortaſſe alias fuiſſet, operoſius antiquitatis exempla conquirere, excitare teſtes a mortuis, faſtorum annaliumque fidem appellare: juviſſet replicare ultimam hujus imperii memoriam; illiuſque quaſi naſcentis cunabula ſubire iis divinitus ornata muneribus, quæ non tantum ſingulari prodigio conceſſa, palamque cœlo delapſa ſunt; ſed etiam perenni miraculo, poſt tot retro ſecula durant etiamnum, æternitatique ſervantur. Nunc vero, cedite veterum ætatum prodigia, æra, marmora, monumenta omnia; cedite. Clariora nobis ætas hæc noſtra ſuppeditat; quam ut antiqua renovare, & a ſuperioribus ſeculis arceſſere ſit opus: neque ſine injuria poſſemus admirationis noſtræ partem præteritis impertire; dum admirationem omnem hodierna, ut merito ſuo poſtulant, ita ſplendore ac dignitate, quo ſe cumque noſtra ferat oratio, longe ſuperabunt.

Sic enim eſt, Ludovice Adeodate, miraculo natus, miraculorum ætatem quandam attuliſti; quam & agere videris ipſe, & populis tuis conceſſiſſe ducendam. Plena ſunt regni tui exordia iis prodigiis, quorum in aſpectum intentus orbis terrarum, partim gratulatur, partim invidet, totus admiratur. In tanta conſpiratione illuſtrium erga te ſtudiorum, patere venerationis noſtræ quaſi

ributum aliquod pendamus ipſi quoque; & prima-cademiæ noſtræ voces; celebrandæ imperii tui elicisſimæ auguſtiſſimæque infantiæ, conſecremus.

Aggredior, Auditores ornatiſſimi, deque incom-arabilis regni laudibus eas me diligere profiteor, ion quas exaggerare dicendo velim, ſed quas aſſe-ui admirando non poſſim. Miracula una prodi-;iaque perſequor: atque ut a ſacris olim arceri p·o-anum vulgus ſolebat; ita quidquid vulgare, quid-|uid humanum eſt, jam inde ab hujus aditu oratio-ie excludo: nihil admitto, niſi quod præter con-uetudinem, citraque rerum ordinem naturamque ommunem obvenerit. Quo genere cœleſtium be-ieficiorum, dum infantis LUDOVICI regnum leniſſimum fuiſſe demonſtro; non vereor ut favea-is, Auditores: tantique Principis felicitatem gra-ulatione; Divinorum operum præſtantiam vene-atione proſequamini.

Ac primum, ſinite me hoc loco refricare leviter, x quaſi ſuſpenſa manu tangerre acerbiſſimi vulneris icatricem; cujus offenſionem idcirco minus vere-ior, quod conſecuta præter ſpem trium annorum elicitas incredibilis medicinam attulit omni ſanita-e atque integritate potiorem. Revocate animo il-ius diei memoriam, quo die Ludovici Juſti ad im-nortalitatem tranſitus mortem huic imperio prope ttulit. Meminiſti Gallia, quæ tua facies, qui ſenſus uerit: cum uno eodemque die Reges duos experta, Regis tamen præſidium tutelamque deſiderabas: x inter utrumque media, vel jacebas cum mortuo, vel cum pupillo infirma & imbecilla reptabas. Me-niniſtis, exteri hujus imperii hoſtes: cum ex Lu-lovici funere revixiſtis: & quaſi ſtipendiaria in ioſtrum veſtra futura mors eſſet: quæ tam inſi-;nem vobis operam hoc facto navaverat; ſpe fero-

ppellabat gentem illam; non inſolentem: quę ſi unquam eſſet alias ineptius gloriata, ſi non extuliſſet ſeſe, inſultaſſetque frigidius; videri tum moeſta potuiſſet. Adeo Galliam orbitas ſua, opes ullæ, miles perexiguus, communis trepidatio, vires hoſtium incredibiles, ſupremum ad diſcrimen dduxerant; ſi vinci aliquando poſſet, tum certe unditus everrendam.

Non occubuiſſe imperium noſtrum hoc rerum ardine, ſervatum eſſe, in gradu ſtetiſſe, qua id unque ſorte factum eſſet; miraculum, Auditores, iraculum agnoſcere Gallia, hoſtes confiteri, prædicare linguæ omnes literæque deberent. Nunc vero, & ſtetimus, quod fieri ſine miraculo non poerat; & vicimus, quod admirationem omnem ſuerat; & inſigni prodigiis illuſtribus victoria ſervaſumus: ut Divini muneris magnitudinem qui non ſtimarent judiciis, oculis credere cogerentur. Quod enim Sereniſſimi Ducis ANGUIANI exiuis copiis exercitus quinque fortiſſimi deleti; quod ſubitariis militibus veteranæ legiones cæſæ; quod juvene admodum Principe, qui primam hanc ugnam ſuis auſpiciis committebat, experientiſſimi duces victi ſint: ſi non aliquando poſteritas in miraculorum loco numeraret; parum certe religio, parum pia poſteritas videretur.

Sed alia ſunt tamen clariora multo prodigia, quibus hæc victoria commendetur. Etenim ut ſingulari unere conceſſam ante ſignificaret Deus, quam ea ueremur; ut intelligeremus eſſe in ea Divinum uiddam & ex aliis aptum connexumque cauſis, am quibus agi res humanæ ſolent: non præcepta ominum expectatione, ſed admirabili & plane cæleſti oraculo prædicta eſt. Primus illius victoriæ æco fuit Ludovicus Juſtus, cum nondum eſſet de

ipſius apparatu prælii cogitatum. Jacebat Princeps ſanctiſſimus eo ex morbo, quo terris ereptus eſt, ut cœlo redderetur : cui cum proprior jam eſſet, cum ipſi æternæ lucis aurora quædam affulgeret; repente quaſi ex altiſſimo ſomno evigilans, converſuſque ad Condæum Principem : Ecce, inquit, hoſtes regno imminent; ſed filii tui virtute propulſabuntur. Fuerunt, Rex Maxime, fuerunt hi Divinorum luminum primi radii, quibus Galliam tuam, priuſquam atrata tuo funere procederet, perſuſam voluiſti. Agnoſcimus inde allapſam illam victoriam, unde prænuntiata eſt: cœleſte munus prædicamus, quod cœleſtis Princeps mœrenti Galliæ diſcedens ad ſolatium largitus eſt. Hæc immortalis triumphi, quem ducere in cœlo cœperas, effigies quædam eſt conceſſa Galliæ : ut quæ victrix toties per te fuerat, tecum etiam ſaltem in imagine triumpharet. Aſpirabas de cœlo Gallis tuis animum; quem in cœlum evolans ademeras : reſtituebas hoſtibus pavorem, quem tecum extuleras : ſentiebant te fulminantem ii, qui dum viveres, fulgurantem viderant, audierant intonantem : & dum in hoſtes Anguianus turbinis ad modum irrumperet; dum ita rueret in pericula, ut ea vinceret; ita laceſſeret neces, ut eas fugaret; ita penetraret agmina, ut perrumperet ac profligaret; manu nemini militum inferior, conſilio ducibus ſuperior, heroe ubique major; dum nudato capite pugnaret, ut eſſet recipiendæ laureæ paratior : tu interim omnem prælii hujus aleam ex alto regebas, victoriarum arbiter, qui certaminum pars magna non multo ante fueras; aderas occultis illapſibus, ſuggerebas conſilia, deſtinabas ictus, legiones ex inopinato ſternebas : ut morte ſua triumphum augerent tuum, qui de morte tua triumphos duxerant, tibique jam immortali ab iis hæc victoria debere-

ur, a quibus fuerat te mortuo deſperata. Tum ora-
ula ſua cœlum implebat, Auditores: perficiebat Lu-
lovicus Juſtus, qui prædixerat: auctor erat victo-
iæ, cujus fuerat vates: miles in acie, in cœlo ſigni-
er; in Anguiano miles, ſignifer, imperator.

Et vero ne quis eſſet aliquando tam invidus, ut
liſſimulare quoquomodo poſſet, Divini eſſe mune-
is & extraordinariæ gratiæ, quod Regiam ad Ru-
em vicerimus: ut non tantum certis, ſed etiam conſ-
icuis miraculis frueremur; ſignum ſuperi ipſi de
cœlo ſuſtulerunt. Volitabat in aëre delapſa nubibus
lba faſcia; ut ne quid dubii ſupereſſet noſtrarum
ſſe partium cœlum, quod inſignia noſtra, Gallicæ-
ue militiæ ſymbolum induiſſet. Viderunt ſibi affut-
entem noſtri: viderunt hoſtes atrociter minitan-
em, & quacumque ſibi ingrueret, exanimatum
nilitem, perturbatos ordines, aciem diſſipatam;
Gallos invadentes, ſternentes, immolantes. Reſar-
iunt hæc tempora priorum jacturas omnes. Non
ſt, quod ereptam ſibi auriflammam Gallia lugeat.
Reſtituitur illuſtrior auſpicanti regnum LUDOVICO,
uam quæ religionem ſuſcipienti Clodovæo con-
eſſa fuerat; neque minora prodigia ornandis regni
ujus initiis, quam conſtituendis olim religionis,
eiquepub. totius primordiis, deſtinantur. Cuſtodie-
atur in templo vetus auriflamma; hæc in cœlo aſ-
ervatur. Illam e mortali exercitu vir unus geſtabat;
anc immortalis militiæ Principes tollunt. Illa reli-
gionis unius cauſa, victricem adverſus Barbaros Gal-
iam præſtabat; hæc adverſus hoſtes omnes, quæcun-
que bella moveat, triumphantem. Triumphavit vero
deinceps: neque expeditionem movit ullam, quin
exercitus noſtros pavor antecederet, victoria ſe-
queretur.

Quot enim te palmis, & quam illuſtribus, LUDO-

VICE, regni tui annus alter oneravit! Quot capiti tuo triumphales coronas Sereniſſinus AURELIANENSIUM Dux, patruus tuus impoſuit! Quot Regio diademati gemmas attexuit! Fuerat ille priore anno, ad conſtituenda domi negotia neceſſarius; neque tam iniquis & dubiis temporibus, carere capite ſuo Regium Conſilium poterat. Atque ut inſtante maximis in periculis metu, ad cor ſolet tanquam ad arcem affluere pars ſanguinis præcipua, eique ad præſidium aſſiſtere: ita metuenti Galliæ, quorſum tam repentina converſio rerum evaderet; eaque pericula merito formidanti, quibus ſe aliquando conflictatam eodem rerum ſtatu meminerat; adeſſe debebat nobilior illa portio Regii ſanguinis, & pectus intimum fovere tamdiu, dum perturbatos animos ſpes aliqua lætior à ſummis timoribus recreaſſet. Verum ubi compoſita omnia, & confirmata ſunt; atque ita reſpiravit Gallia, ut ad ſumma quæque aſpirare jam impune poſſet: tum GASTO arma in exteros cepit; tum exercitum eduxit nulla re magis, quam ducis ſui nomine, florentemne dicam, an formidoloſum?

Cujus exercitus, cujus imperatoris ſi decora omnia dicendo perſequi; ſi quæ ad urbis unius obſidionem admirabiliter præterque conſuetudinem ſunt geſta, percenſere vellem; miraculorum ſegetem immenſam aggrederer novo miraculo prædicare. Adeo ubertatem orationis omnem, ſua copia; dignitate, ſplendorem ornatumque ſuperant. Mirati ſunt alii victas eſſe fortiſſimas Belgarum, Italorum, Hiſpanorumque copias, quas in Gravelingam GASTONIS felicitas incluſerat: ut tres populos, quibus cum Ludovicus Juſtus, tot annorum ſpatio, tot regionum intervallis bella geſſerat; una in urbe, menſe uno, per patruum ſuum domaret Ludovicus

leodatus : ex eoque omnem Europa caperet, nul-
n eſſe gentem Gallico nimicam nomini, quæ
n eſſet aliquando Regis noſtri frangenda viribus,
ionique ſubjungenda. Obſtupeſcebant alii Ca-
um Philippicum, propugnaculis firmiſſimis &
omnem artis accurationem exactis, aggeribus,
libus, foſſa duplici defenſum; ſine impreſſione,
e vi, ſine prælio captum eſſe : hoſtibus cum pri.
im inſtructas in ſe copias aſpexerunt, ultro ce-
ntibus; ut noſtri, ſtatim atque eſſent viſi, viciſſe
cerentur. Alii alia pro ingenio quiſque, arbitrio-
e ſuo prædicarunt. Ego vero cum cætera illa
agno ſum opere vehementerque miratus ; tum
pugnatione ipſa Gravelingæ nihil mihi majus,
hil ad celebrandum admirabilius, preſtantiuſque
ſum eſt. Capta enim à Gastone urbis illa eſt,
tam brevi capta tempore, qua fingi nihil poterat,
l natura loci, vel hominum arte, vel militum nu-
ero, vel annonæ copia munitius : capta eſt urbs
a, cui ut ferrent ſuppetias, coacta ſunt Ypris Belgii
tius comitia ; deque ſubducenda noſtris fulmini-
s provinciarum ſuarum arce grave conſilium inie-
nt. Quo in conventu cum omnes ſe in partes
liberando verſarent homines ſagaciſſimi, cum
llis operis, impenſiſque parcendum ducerent ;
iis nom miretur, nihil effectum ab iis, aut renta-
m eſſe? neque intelligat fieri hoc non potuiſſe ſine
premæ cujuſdam mentis conſilio, extra rerum hu-
anarum ordinem occulte molientis, ut cum ſata-
rent, cum moverent omnia, cum ardentiſſimis
imis inſurgerent ; tum maxime inertes, & otioſi
nſiderent ? Quis vero affinc illud eſſe prodigio,
præter expectationem neget communemque
llorum aleam contigiſſe; ut Belgicus leo, quo
hil ante fuerat, vel robore valentius, vel animis

ferocius, uno impetu noſtro, ictu prope uno conciderit? Concidit, Auditores: tenemus amputatum caput belluæ: regionem illam Gastonis auſpiciis cepimus, quæ cum Belgii caput diceretur; tum opibus, præſtantia, momento, vim nominis obtinebat. Concidit, ſi qua eſt habenda fides indigenarum ipſorum vaticiniis, quæ trita popularique parœmia prædicant, tum Belgium periiſſe, cum Gravelinga ſibi & Dunkerca perierint. Alteram cepimus, frænavimus alteram: neque ſupereſt ex hoc capite pars ulla, quæ jugo, quod tandiu detrectaverat, vel ſubacta omnino, vel preſſa redactaque ad anguſtias non fuerit.

Et conſtat Belgio certe oraculi ſui veritas: noſtrum cœpit eſſe totum, ex quo caput tenuimus. Vix jam nobis cum his regionibus bellum, vix certamen ullum eſt: certare inter ſe videntur urbes ipſæ, ut noſtrę ſint. Plures hoc anno cepimus, quam multis ante annis obſederamus: ut non vi atque armis caſtra ulla expugnare; ſed parta jam bona colligere, adire patrimonia, & in poſſeſſiones noſtras pedem ponere videamur. Ita locupletiorem aliquando & auctiorem hereditatem à patruo ſuo Rex noſter accipiet. Ita qui matrem à natura tam piam, tamque fortem eſt nactus; huic patrem alterum, pietas atque fortitudo ſubſtituunt. Quibus tanti Principis virtutibus celebrandis, ſi mentis æſtrum impetumque ſequerer, indulgerem impenſius, Auditores: neque vel ſermonis inopiam, in tanta rerum ubertate; vel animorum veſtrorum faſtidia, in tam illuſtri tamque ſuavi omnibus argumento metuerem. Verum memini me non de Gastonis laudibus, ſed de regni hujus miraculis dicere: neceſſeque adeo mihi eſſe in tanta rerum magnificarum copia, non ſingillatim explicatas

omnes collocare in lumine; ſed, quaſi prætereuntes ſolent, attingere ac deguſtare leviter, ad eaſque, tanquam ad conſtructas & reconditas opes, digitum intendere.

Iterum tamen ad te, Princeps Sereniſſime, noſtra reſpectat oratio: iterum me rapiunt patrato tuo ductu facinora, quæ ſi heroïcis temporibus geſta legeremus, ſuſpecta nobis vetuſtatis fides eſſet; quæ cum legentur a poſteris noſtris eadem, erit nemo, qui conficta ſplendide mendacia, & illuſtres fabulas non judicet; niſi qui intelligat, quid incredibilis virtus tua potuerit, quid Ludovici ſumma felicitas poſtularit. Quantum enim illud fuit, quamque ad admirationem ſingulare, quod de ipſa natura rerum triumphare viſi ſimus; neque oppoſitis ab ea potentiſſimis obicibus potuit fortuna Gallica retardari? Vidit hoc anno exercitus noſter objectam ſibi in Belgio, non foſſæ, non muri, propugnaculive unius moram; ſed profundiſſimorum lacuum, quos & Colmæ fluvij alveus, & inundantium aquarum vis immenſa, ad quatuor & amplius milliaria porrexerat. Vidit, neque has ſibi vias inſuperabiles putavit; non expectavit, dum gurgites illi decreſcerent; non contabulavit, ut Xerxes; non derivavit, ut Cyrus; non tentavit alios aditus, ut bellorum mos eſt, Martiſque communis. Illas paludes, illas voragines, illud pelagus, ſecurus miles ingreditur; pedem figit, ubi ſtare pontium ſtructura vix poſſet; aquas ambulat, quas navigiis tranſmittere periculoſum eſſet. Quod ſi feciſſet e tanto exercitu vir unus, ſi metu nullo ab hoſtibus imminente adverſam in ripam evaſiſſet; hominis induſtriam, fortitudinem, felicitatem miraremur. Nunc autem eo trajeciſſe cohortes aliquot, aſpiciente hoſte, ripam inſidente, tormentis, jaculis, telis omnibus ingruente; non

repulſas fuiſſe, non territas: ſed in hoſtium arces intonuiſſe ex inferiore loco, irruiſſe in propugnacula, eos deturbaſſe, fugaſſe, cecidiſſe; id ſi non admirabile quiddam & prodigioſum dicamus: veſtram fidem! gentes omnes, priora ſecula, ætates futuræ, veſtram fidem! quid deinceps à nobis miraculorum in numero reponetur?

Quid vero illud! non ſemel de hujus elementi natura, ſed iterum triumphaſſe? Præcepiſtis animis quod longiorem orationem deſideraſſet, Auditores: neque dicere de Belgica illa trajectione potui, quin Catalanicæ vobis memoriam, admirationemque revocarem. Fuit enim, fuit Catalania ejuſdem gloriæ theatrum: felix Catalania, ex quo Gallorum cœpit eſſe; ex quo autem Ludovico noſtro paret, prodigiorum ferax, & inſuetis facinoribus aſſueta. Ludus illic fuit non ita pridem militibus noſtris; non ponte, non cymba, non natatione; ſed inauditis ante illum diem artibus ſuperare amnes altiſſimos, quibus bene tutum ſe hoſtis crediderat: neque crediſſet immerito, ſi cum aliis quibuſdam, quam cum Ludovici copiis bella geſſiſſet; ſi imminentem non habuiſſet Harcurium, quem, poſt inſignes tot portentis victorias, poſt maria quondam ad Lirinenſes inſulas admirabiliter ſuperata impedire fluvii omnes, quantumvis tumentes, & violenti non poterant.

Gaſtones! Anguiani! Harcurii! tot conſecrata miraculis nomina! Heroës idonei, per quos admirabilium operum vis tanta fieret! Fortunati Principes, qui Ludovici felicitatem nacti ſitis! Felix ipſe Ludovicus, qui vos patrandę ſuę felicitati pares invenerit! Infelix orator unus, quem factorum illuſtrium ſeges tam ampla vetat argumenti ſui tractatione defungi. Germania! Belgica! Catalania! campi ad hujus imperii gloriam nobiles, ad omnem

rædicationis amplitudinem infiniti! vos ego tam feſtinanter, raptimque prætercam? non liceat pedem uſquam admirando figere? ne ſit fas quidem curſim omnia delibare leviſſimis aſpectibus? neque tot voces percurrendis vobis impendere, quot à Principibus invictiſſimis geſta miracula continetis?

Teque imprimis Germania, quam ne verbo quidem hactenus attigi: Germania tot illuſtrata miraculis, quot militum noſtrorum greſſibus peragrata: ut piget ſine tot inauditorum facinorum præconio, tot Divinorum munerum veneratione, integram intactamque dimittere! Ita defixum me in ſui contemplatione tenuit Anguianus Belgicus, ut Germanici aſpectum eripuerit: laudibus ſuis laudes ipſe ſuas obruens & abſorbens, atque ad Rupem Regiam tam mirifice triumphans; ut dum fulguribus illis perſtringerer, dum imparem me ſubſtinendis iis agnoſcerem, interim ad Friburgica & Nortlingenſia fulmina reſpicere vacuum non eſſet. Prætereunda nobis tamen illa ſunt, quodque illuſtre mihi ad hoc argumentum videtur, ſic prætereunda; ut quamvis indicta, nihilo perſuadeant minus, quam ſi verbis eſſent ampliſſimis ad orationis pompam otioſius exornata. Quid enim editorum regnante LUDOVICO XIV. prodigiorum vim atque copiam demonſtret magis, quam quod pleniſſimæ iis æſtates duæ ſileri præ orationis infinitate debeant? quod fortiſſimum Ducem ad Friburgum Nortlingamque contemplari non liceat eos hoſtes aggredientem, quos non fugere fortitudinis quondam heroïcæ fuiſſet; vincentem profligantemque, quos adoriri humanæ opis non eſſet viſum; utrobique ſaxis præruptiſſimis & inacceſſis rupibus munitos, ut eſſent palmæ, quæ hoc in ſolo creviſſent, illuſtriores; utrobique victores, ut eſſet triumphus glorioſior, qui de trium-

phantibus ageretur : quid Spiram, Moguntiam, Vvormatiam, decemque urbes alias, poſt Friburgenſem victoriam menſe uno captas, neceſſe ſit, ne appellatas quidem nominatim, relinquere. O miraculorum ubertatem! quæ nos cum victore non ſinat Philippoburgum ingredi, illud propugnaculum Imperii, Auſtriacarum opum ærarium, armamentarium gentis inimicæ, arcem Germanicæ libertatis; urbem illam quindecim dierum ſpatio ab Anguiano captam, quam menſibus octodecim oppugnarat Suecus ille victor, cui ſatis hyems una trajiciendę Germaniæ fuerat. Quam urbem, etiam cum audiremus feſta tormentorum murmura, cum triumphales ignes & gratulatorias ſupplicationes intueremur, quis noſtrum fuit, qui tam brevi tempore, tam exiguo milite, tam puſillis opibus captam, non ægre admodum crederet? Facere fidem res una poterat, quod hæc audiremus ab Anguiano geſta, quod regnante Ludovico perfecta cogitaremus.

Quid illud eſt autem, quod invitum me, Anguiane, detines; & quamvis orationem coner jamdudum abrumpere, uſque tamen inſiſto, avellique à rerum tuarum aſpectu & admiratione non poſſum? Quid illud, quod dum decora tua perſequor, dum enumero hujus imperii miracula, unum omnium maxime præſtans ac ſingulare prætermitto? Nimirum nihil eſt in omni felicitate noſtra mirabilius, quam quod te ſalvo & incolumi huc uſque fruimur. Te in confertiſſimos ordines irruere! non diſſimulato habitu, non mentitis armis, ſed aperto capite & erecto, nihil a gregariis militibus, niſi robore ac præſtantia differentem! Te unum telis hoſtium omnibus appetitum, multis vulneratum, nullis confoſſum, rediiſſe to-

ties in caſtra, unum ex cohorte tua ſuperſtitem, omnibus qui te ſtipabant cceiſis, equis ipſis e quibus pugnabas, plurimis interemptis! Te peſtifero deſperatoque morbo recens afflictum; cum ſpes Galliæ tecum debilitata langueret; cum nihil vigoris in corpore; nihil in medicina induſtriæ ſupereſſet; actumque de te omnes, actum de Germania conclamarent; repentę ſoſpitem, nobiſque redditum convaluiſſe! omnibus qua id eſſet ope factum ignorantibus, ut Divina factum eſſe ignorare nemo poſſet. Hæc cum audivimus, quam expavimus ad pericula tua, tam de incolumitate triumphavimus; gratulatique ſumus omnes, tot miraculis ſervatum eſſe Galliæ, qui Galliam miraculo ſervaverat, miraculis amplificaverat.

Imprudens vero, & inconſultus fui, qui hæc prodigia cęteris prætulerim; in iiſque ſummum aliquod inveniſſe me putem, in quibus ex alio ſemper occurrit aliud, quod ſuperioris laudem obſcuret. Feciſti, Dux potentiſſime, quod unius proprium Numinis videbatur: rerum naturas in contraria mutaſti: Fortunam, quę inconſtans eſt, verſatiliſque per ſeſe, fixiſti; tibi addictam; Gallicæ proſperitati devotam; pennis, talaribus, orbe volubili, ut Romæ olim Palatino in monte geſtum fabulantur, exutam. Habuiſti, quæ Athenienſium propria jactabatur, Victoriam implumem, ne poſſet alias ad partes, ut ipſius ingenium eſt, ſubita defectione celerrimiſque converſionibus devolarę. Erravi! pennatam oportuit eſſe: non ut te fugeret, ſed ut ſequeretur: ut tecum loca disjunctiſſima celerrimis intineribus peragraret: ut per Galliam omnem nuper volitans, rumores ſuos ſpargeret prius paulo, quam te ad Nortlingam reviſeret, ac glorioſiſſima laurea coronaret. Illud enim haud ſcio an miracu-

lorum omnium teſtatiſſimum dicamus: quod diebus ante pauciſſimis, quam Bavaricas copias profligaſſes, victorem te ferrent incerti quidem nuntii; & prælii totius ſeriem, rerumque maxime ſingularium, quas divinare nemo poſſet, ita, uti poſtea ſunt geſtæ, deſcriberent. Cœleſti victoriæ Divina oracula præcurrebant: neque novum tibi & inuſitatum erat, eos triumphos ducere, quos illuſtribus vaticiniis celebrare Deus ipſe ac præcinere voluiſſet.

Sed ô virtutis tuæ potentes illecebras! Dux præſtantiſſime, quæ iterum me, quamvis caventem repugnantemque, vi ſua quadam abripuerint. Si finem laudes tuæ nullum habenti: at certe faciendus aliquis orationi; quæ veluti feſſa longiſſimis itineribus maximarumque rerum pondere, quærit exitum tandem, locumque appetit in quo depoſita conquieſcat.

Bene eſt: ultro ſe offert felix ille terminus. Ecce poſt tot celebrata prodigia, occurit demum illud, quod omnium eſt admirabilitate præcipuum, dignitate ampliſſimum, religione ſanctiſſimum, par unum hujus imperii gloriæ ac majeſtati; quod rerum admirabilium ſtructuræ quaſi faſtigium ſervandum erat; in quod deſinere cætera tamquam in caput ſuum debebant; maximum regni ſui miraculum, Rex ipſe LUDOVICUS ADEODATUS. Adeodatum nuncupaſſe, miraculum appellaſſe eſt; & æternitati, quæ tam illuſtre nomen excipiet, ſignificaſſe; non eum humanæ fecunditatis, ſed Divinæ virtutis opus eſſe; non naturæ fœtum, ſed partum gratiæ; non temere ac fortuito editnm, ſed æternis conſiliis, præter morem modumque omnem, Galliæ ad præſidium, Europæ ad imperium, terrarum orbi ad amorem, ad delicias, ad venerationem,

tionem, cœleſti munere conceſſuque donatum. Reconditiores ſunt aliquando ſinus annalium, caduca monumenta vetuſtatis; quæque iis commiſſa ſunt ad memoriam, eorumdem vel involvi receſſibus, vel interitu deleri penitus & extingui ſolent. At hanc Ludovici noſtri præſtantiam ſine commentariis poſteritas intelliget: non erit, ut ex abſtruſioribus hiſtoriarum latebris erui laus illa debeat, quæ prima ſpecie, & in ipſa ſtatim Ludovici Adeodati appellatione ſe offert: neque vel, jacturas annalium, vel monumentorum ruinas, vel ullas omnino injurias temporum pertimeſcet, quæ immortali nomine continetur. Negent miraculum eſſe Regem noſtrum, qui ejus nominis non meminerint. Negent Adeodatum eſſe, qui ſint in Europa peregrini: neque audierint, quam ſupra naturæ vim omnem & conſilia; deſperata utriuſque parentis fœcunditate; ſterilitate ipſis annis tribus & viginti comperta; Gallia, quod expectationi non poterat, deſideriis indulgente; infans ter maximus, Divina quaſi elaboratus manu, neque tam Regio, quam cœleſti ſatu perfectus, ſtupentibus gaudio populis, improviſo prodierit: ſimiliter atque ſi nocte jam concubia dies repente fieret, aut gentes illas semeſtri caligine damnatas Sol ipſe poſt unum alterumve menſem inopinatus exoriens ſua luce recrearet. Debuit votis precibuſque diuturnis e cœlo devocari, ut cœlo ferretur acceptus; oportuit exaruiſſe prius naturæ fontes omnes, ut piis lacrymis deberetur; expectari, differri, deſperari decuit, ut præpotenti dexteræ tribueretur. Vetuſtis juxta & recentibus oraculis adpromiſſus eſt, præſignificatus oſtentis, viſis cœleſtibus præmonſtratus: ut indi ſidus illud agnoſceremus exiſtere, unde prænuntii ac præcurrentes radii affulſerant. Tot miraculis

opus erat, ut tanto miraculo frueremur.

Neque vero ea re duntaxat miraculum cenſeri Ludovicus debet; quod præter opinionem omnium, præterque naturæ opem & ingenium ſit natus. Creſcunt cum admirabili Principe nata cum eo miracula; neque tantum in Ludovici ortu, quantum in Ludovico ipſo prodigiorum oſtenditur. Totus eſt Adeodatus Princeps noſter. Nihil eſt in eo quidquam non ſingulare, non rarum, non ætate majus, natura ſuperius, conditione præſtantius: nihil tanto nomini non reſpondens. Qui vel Felicem, vel Auguſtum, vel aliis eum nominibus appellat, ejus ſplendorem in tot quaſi radios diſtractum, diſſiparumque minuit: qui Adeodatum vocat ejuſdem laudes tam illuſtri nomine colligit & exaggerat univerſas. Scilicet quod à tanto artifice ad ſpecimen Divini cujuſdam operis affictum, quod infiniti muneris loco datum ſit, conceſſumque mortalibus: id non eſſet admirabiliter omni ex parte perfectum; neque illa præſtaret excellentia, quæ naturæ dotes omnes, & ornamenta ſuperaret? Superat vero, & eo intervallo uſquequaque ſuperat, quo nemo unquam eorum hominum, qui lapſi de cœlo ferebantur, mortalium vulgo præcelluit. Obſtupeſceremus in viris maximis ea, e quibus ætas ejus tenella tota contexta eſt; quæque minimam in ipſius infantia laudem obtinebunt; in heroïbus ſuis vetuſtas religioſa conſecraſſet.

Quibus prodigiis quia longo jam uſu felicitatis aſſuevimus; itaque comparati vulgo ſunt mortalium animi, ut rerum admirabilium magnitudinem infrequentia & raritate metiantur: Docete Galliam, gentes exteræ, horum partuum ſteriles, horum decorum inſuetæ, docete: quæ cogitationes eſſe noſtræ ſuper his, quæ judicia ſenſuſque debeant,

Neminem in Gallia vidimus alienigenam, Auditores, ſi modo is Regis alloquio ſit, vel conſpectu ſaltem & ſalutatione dignatus, qui hoc inſigniter non docuerit. Regiam in aulam confluunt gentium fere omnium legati: ibique cum multa ſint, quæ illorum oculos, quocunque inciderint, pulchritudine capiant, dignitate teneant, magnificentia & ſplendore perſtringant: tum nihil æque, ac Regis ſpeciem ipſam, dignitatem oris, formam corporis omnem habitumque mirantur. Quid vero, cum de legatione ſua, ſolenni ritu & apparatu referunt, propiuſque ad congreſſionem, & ſacratæ manus oſculum admittuntur? Infantem vident ea majeſtate, qua neminem antea Regem viderant; ea humanitate, quam fingere ſibi in tanto Principe, ne fama quidem prænuntiante, potuerant. Venerant non collaturi cum eo ſermonem, ſed coram eo facturi; habiturique honorem ipſius numini, perinde ut mutis olim Deorum ſtatuis habebatur. Verum ubi animadvertunt conjectus oculorum acres ac vividos; Divinum quiddam in vultu, nihilque puerile meditans; os illud in dicentis ore defixum, illiuſque verba, geſtus, motuſque omnes, ſuis nutibus quaſi trutinans: ubi reſponſa ex tempore accipiunt, plena ingenii, plena elegantiæ, judicii prudentiæque pleniſſima: tum vero vix apud ſe ſunt homines graviſſimi; atque id plerumque contigiſſe memorant, qui præſentes eſſe his ſpectaculis ſolent; ut eum viris ſapientiſſimis terrorem infantis majeſtas & oratio attulerint, quem imprimere infanti peregrinorum hominum habitus voceſque debuiſſent. Illud vero certiſſimis hominum ſermonibus compertum eſt: fuiſſe ex oratoribus iis aliquos, qui ut experirentur eſſetne idem ſemper conſtaretque ſibi Ludovicus, in aulam

poſtridie redierint: non jam ut eum pro tribunali ad pompam de induſtria compoſitum, ſed ut cum domeſticis agentem familiariter, indolique adeo ſuę ſimplicius indulgentem aſpicerent. Viderunt, Auditores, quod obſtupuerunt vehementius, infantem, etiam in illis minutioribus virum, ludos æque tranctantem ut ſeria; pauca pro tempore, omnia pro dignitate loquentem; jocos & facetias non excipientem riſu, ſed judicio æſtimantem; non geſtientem ad ſpectacula, ſed ne conniventem quidem; neque incendentem ea commotiunculis & plauſibus, ſed nutu & auctoritate moderantem; ſi quid rogatur majoris paulo momenti, non reſpondentem illico, ſed uno alterove ſpatio graviter & attente confecto, ſono vocis imperatorio decernentem. Quæ cum viderent, cum uſurpant etiamnum oculis quotidie; nihil mirantur magis, quam quod ſatis non miremur: & ô felices, inquiunt, eos, quibus hæc etiam familiaria eſſe potuerunt! Beatam gentem, apud quam domeſtica & vernacula ſunt miracula! Invident vero, niſi & illud adjiciant: Dignum orbis imperio principem, cui tot muneribus natura, virtus ornamentis, fortuna victoriis, Deus ipſe portentis tam admirabilibus allaborat.

Ite, homines exteri, veſtras ſinguli reſpublicas, veſtra imperia reviſite: renuntiate popularibus veſtris: quantum infantem in ſolio, quantum in infante Principem, quam illuſtre in tanto Principe miraculum, quot uno in miraculo, & quam præclara miracula videritis, obſtupueritis, venerati ſitis. Audiant gentes omnes Regem eſſe in Gallia, ætate puerum; judicio virum; victoriis heroëm, majeſtate Deo, quam homini, propiorem. Audiant: quam cito ſupra viros fuerit, qui tam ſero

eſſe inter homines cœpit; quamque mature vir evaſerit: ut ſenex tardius fieret. Audiant, eum infantiam egiſſe non humanę ſimilem, ſed illius propè parem atqme germanam, quam Diis ſuis poëtæ fictis fabulis tradiderunt: qui cum naſcerentur infantes; Dii tamen, adeoque numine prçponentes, judicioque ſupra captum hominum & intelligentia præditi naſcebantur. Audierunt vero, audierunt hęc jamdudum nationes omnes, iſtis prçconibus: neque ulla eſt ora ſedeſque terrarum, nullus intra oceanum locus: ubi plus abmirationis ſola tantarum rerum auditio non attulerit, quam ſoleat earumdem apud nos prçſentium conſpectus obtinere. Celebrantur apud omnes pervagata populos Ludovici XIV. dicta illuſtria: cujus factis illuſtrioribus, cum primum ad idoneam ætatem adoleverit, ſola terrarum omnia triumphabunt. Jam, ex quo loqui cœpit, (quam dudum eſt autem, qui menſe nondum toto infantiam exceſſit?) jam redigi in commentarios à domeſticis cœpere, quæ feſtive, quæ graviter, & regie dixerit. Pleni ſunt deſcripti à curioſis hominibus codices, infantis unius apophtegmatum: quæ cum legere mihi contingit; legi autem perſæpe, neque adhuc legiſſe pertæſum eſt) non jam illos vetuſtatis Illuſtres, tot prædicatos ſeculis, tot conſecratos monumentis deſidero. Adeo ſcita cuncta ſunt, & acumine ſubtilia, opportunitate commoda, pondere gravia; verbis, ſententiis, leporibus exquiſita.

Quam hic jure, quamque merito illud poëtarum ſolemne uſurpare fas eſſet; meliore in cauſa, quam illi ſolent, ora centum optare: ut tam brevi temporis ſpatio, quam mihi ad dicendum ſumpſi, par eſſem recitandis omnibus quotque promerem Ludovici ſententias, tot ab eo profecta miracula præ-

dicarem! Verum quando nullus hic nobis eſt prodigia expectandi locus, ſed tantum prodigia celebrandi: ex uno ipſius dicto quid de cæteris exiſtimandum ſit, judicate. Exuebatur aliquando veſtibus ſub veſperam Ludovicus, mox ad quietem componendus in lecto. Quo tempore, ut molliorem Principi faciliOremque ſomnum conciliet, ſolet palatina nobilitas, nova quotidie oblectamenta conquirere. Tum autem erat is forte luſus inſtitutus, ut aſtantium cuique ſua deſignaretur conjux, variaque per ludicrum matrimonia jungerentur. Et jam alias aliis uxores, aſperſis etiam non illiberalibus facetiis, & repetito ſæpius inter præſentes riſu, pro ſe quiſque deſtinarat: cum Ludovicus, qui meditabundus interim ſiluerat, grande ſcilicet quiddam animo parturiens, Ego vero, inquit, Pariſiis Conſtantinopolim deſpondeo. Tum in cubili collocatus ſomno ſe dedit. Hic vero, hic ſeculorum omnium memoriam provoco, fueritne unquam prolata vox ulla illuſtrior, admirabilior, Divinior? Me, Auditores, incuſo ipſe, quod proferendis hactenus aliis Regis noſtri miraculis tantum temporis, orationiſque contriverim. Exordiendum ſcilicet ab hac voce fuerat: quæ orationem exhaurit omnem; qua una ſparſæ in cæteris laudes omnes ingenii, elegantiæ, gravitatis, ad ſtuporem uſque continentur: quid dicam, pietatis, fortitudinis, omniſque regii ſpiritus? Infantem quadriennio haud ſane multo majorem, non pacis otia, ſed belli certamina; non pugnas pueriles, ſed heroum victorias; non ludorum palmas, ſed triumphos de potentiſſimis hoſtibus meditari! Pugnas, victorias, triumphos, non ad libidinem, ſed ad religionem; non ad ſpoliandas, ſed ad conſecrandas provincias; non ad Imperii ſui, ſed ad Divini nominis hoſtes frangendos

referre! ea dicere, quæ à viris excogitari non poſſent! volvere illud animo ac decernere, de quo maximi heroës noſtri tot jam ſeculis deſperarunt! O Franci! O Chriſtiani populi! O certa præſagia futurorum! Nam ſi grandior hoc dixiſſet Ludovicus, ſi adoleſcens, ſi vir hoc pronuntiaſſet: eſto, tanta non tribueretur hominis orationi fides atque auctoritas; & ſuſpicione ipſa falſi, omnis hæc vaticinatio non careret. Nunc autem, Deus Auditores, Deus ipſe locutus eſt: atque hanc à quadrimulo infante vocem prolatam oportuit, ut a Deo profectam eſſe nemo dubitaret. Puer afflatus numine, ſine Sibyllarum bacchationibus; plenus Deo, ſine vatum furoribus; futuri vates, ſine fatorum ambagibus; dictantis, agitantis, loquentis Sapientiæ reſponſa reddebat. Occupaverat æterna mens pectus illud, quod tanquam adytum & ſacrarium ſuum ipſa fabricaverat: linguam inſidebat illam, quam fundendis oraculis ſuis deſtinaverat: ciebat formabatque voces, quas pridem conſiliorum ſuorum interpretes deſignarat: quondam autem, quondam & dexteram ipſam reget; quam imperii ſui adminiſtram, potentiæ vicariam, prædictorum operum effectricem elegit, conſtituit, dedicavit. Et quærimus adhuc in Rege noſtro miracula, in quo etiam & oracula reperimus? Erit ſcilicet aliquid in Ludovico, quod non ſit Adeodatum? aliquid in Adeodato, quod ſtupendum non ſit; & præter naturæ munera omnia, Dei unius efficientiæ tribuendum?

Felicem profecto Galliam! Fortunatum imperium, quod olim in miraculis natum, miraculis crevit; miraculis idem ac prodigiis, virile quoddam ævi robur & vigorem ætatis integerrimæ ſub Infante Principe nanciſcitur! Felix iterum, fortu-

natumque: cujus flos ille, ſi tam manifeſtis præſagiis fides eſt, nullâ vetuſtate conſeneſcet! Nunquam, mihi crede, Galliæ, ſceptro tuo deerunt, Ludovico Juſto prognati juſti heredes; poſtquam in tanta deſperatione non defuerunt: nunquam interibis, quæ cadente tanto Principe non labaſti: nunquam affligi vi hoſtium ulla evertique poteris; quæ de iis ad Rupem Regiam triumphaſti, qui non tam ad te perdendam, quam ad jacentis jam & extinctæ detrahenda ſpolia convolarant: nunquam ſecundo numine non pugnabis; quæ tum propitium palamque ſigniferum habuiſti, cum infenſiſſimum querebaris, &, ſi humanis judiciis res penditur, queri merito videbare. Quæ vero conſiliis opponi tuis obſtacula potuerunt, ADEODATE AUGUSTE? aut quis erit victoriarum aliquando modus? cum exercitus illos, dux ipſe præſentia tua excitabis, qui aſpirante modo tua felicitate majores hominibus ſunt viſi; quorum viribus ceſſiſſe videntur naturę ipſius vires omnes, cum perfregerunt munitiones ejus firmiſſimas, & potentiſſima repagula perruperunt; eorumque impetus nulla vel montium altitudine, vel aſperitate ſaxorum, vel inundantium fluminum immenſitate potuit inhiberi. O ſpes hujus Imperii! O expectationes incredibiles noſtræ! Nam ſi oſtenduntur prodigia mortalibus, non tantum ut eorum animos admirabilitate percutiant, ſed etiam ut magnarum rerum pręſenſionem iis quandam ingenerent: quid portendi putemus iis, quæ tam crebra ſe nobis offerunt, ut miracula eſſe ipſa prope conſuetudine deſierint? Quid! erit igitur, quod ſupra tantæ glorię faſtigia quondam aſſurgat! Erit majus aliquid iis, quæ aſſeveraremus fieri non poſſe, niſi geſta videremus! Erit, erit, Princeps feliciſſime: nova tibi rerum

ſeries

ſeries naſcitur; novus ſurgit & inauditus prodigiorum ordo: neque tantam admirabilium rerum multitudinem Deus in imperii tui primordia congeſſit, niſi ut eſſent tuæ felicitatis elementa, fundamenta gloriæ, & fati illius, quod tibi juſtitia, fortitudo, pietas elaborant, initia quædam & præludia. Age ergo, tam felicibus auſpiciis adoleſce: adoleſcat tecum Galliæ proſperitas, quæ ſub alio quopiam maturitatem videretur aſſecuta: miraculis tuis ſignentur dies omnes noſtri, tui conſecrentur: menſes relatis victoriis; anni ſubactis provinciis, partis imperiis computentur. Quanquam! anguſtiora tibi ætatis ſpatia definio, qui vivere uſque te opto, dum ceſſes vincere. Brevi terminabitur victoriarum tuarum curſus quia, nulli propediem hoſtes vincendi ſupererunt. Tum vincere deſines, ut triumphes æternum; quam glorioſus, quod gentes omnes bello domueris, tam jucundus orbi terrarum, quod eum alta pace compoſue is: non Germanicus, non Ibericus, non hujuſmodi vanitatem nominum affectans, ne recitare non poſſint titulos tuos, niſi qui deſcriptas animo nationes omnes teneant; ſed uno Pacifici cognomine univerſa complectens. Infantis crepundia, puerique ludus fuerint, populos omnes debellare: viri propria, ſeniſque laus erit, eoſdem temperare legibus, juſtoque imperio moderari.

LUDOVICO XIV.
REGI PACIFICO
PANEGYRICUS II.

PARISIS. III. NON. OCT. CIↃ. IↃC. LIII.

QUOD unum ad ſummam alacritatem, his ſcholarum primordiis, deſiderari ſuperiore anno viſum eſt, PRINCIPES ILLUSTRISSIMI; ut civili concordia conſtituta, in pace atque otio, pacis artes & ſtudia colerentur: id ſingulari Dei Opt. Max. beneficio conceſſum, celebritatem affert hodierno diei lætitiamque ſingularem. Nam & ea tum eramus conditione temporum, ut quamvis aliquid oſtendi lucis in illa caligine cœpiſſet, non poſſet tamen, & præſentium malorum ſenſum, & metum futurorum ſpes incerta pacis adimere: & ea nunc tranquillitate ac ſecuritate fruimur, ut ſi nondum externa bella ſedata ſunt, quæ minus infeſta literarum ſtudiis experti ſumus; at domeſtica, quæ peſtifera ſunt iiſdem, penitus oppreſſa conquieverint. Atque hoc domeſticæ pacis profectum a Chriſtianiſſimo Rege beneficium, cum univerſæ Galliæ ſit, & omnium ordinum artiumque commune: tum proprium certe literarum eſt; quæ vigere non poſſunt, dum armorum vel obſtrepuntur fragoribus, vel timore turbantur. Quamobrem ne videantur ingratæ atque immemores beneficii, per quas beneficiorum memoriam tuentur cæteri, gratiamque perſolvunt: diem hunc ſuo nomine feſtum atque ſolemnem,

onſecratum volunt tanti prædicatione muneris; civilemque pacem Galliæ reſtitutam, Ludovico XIV. Regi Criſtianiſſimo, Regi Pacifico, per me gratulantur.

Pulchrum, & illuſtre Pacifici nomen eſt, Auditores; plena deliciarum appellatio, plena dignitatis: atque ut nulla cœli facies plus oſtentat decorum atque pompæ, quam quæ ſerena & clemens eſt; ſic nunquam eſt imperii majeſtas auguſtior, quam cum ſuavitate illa & quaſi ſerenitate pacis ornatur. Popularis hic titulus eſt, idemque Divinus; quo laudes principum omnes & ſplendida vocabula, veluti ſole minorum ignium lumina continentur: ut qui Pacificum Regem dixerit; idem & patrem patriæ, & populi delicias, & optimum principem, & pium, & felicem appellet; nomine uno, tot ambitioſa nomina repræſentans.

Cum autem eſt nomen illud per ſeſe glorioſum principibus omnibus, a quibus bella quævis ſedata fuerint: tum iis profecto, qui civilia reſtinxerint, eo glorioſius; quo, & difficiliora hæc ad profligandum, & reipublicæ funeſtiora ſunt. Externis ſcilicet in bellis incerta fere victoria eſt; in domeſticis nunquam non certa clades: illa viribus geruntur robuſti ac florentis imperii; his conficiendis, quæ ſuppeditentur ab eo regno vires, quod omni ex parte concuſſum & fractum eſt? illorum flammas extinguere conatur populus; horum accendit: ut merito dixerim bellis cæteris exerceri rempublicam, inteſtinis interimi; ſublatis illis recreari pacem a morbo, his oppreſſis ab interitu revocari. Quid enim omnium vis atrocitaſque bellorum efficere ſolet, quandiu cum peregrino tantum hoſte confligitur? pacis integritatem imminuit, pacem ipſam funditus non tollit. Regnat interim in ſinu reipublicæ, incolu-

mis & vegeta pax; dum extremis in finibus, & limite quodam imperii, tanquam ſumma cute aliquot vulneribus delibata, perſtringitur.

At cum civilia ſigna ſublata ſunt, tum gliſcit penitus graſſaturque peſtis in intimum admiſſa corpus: nullum paci perfugium relinquitur: nulla vacua ſedes ab importunitate bellorum; quæ veluti arce occupata imperii, longe in eo lateque dominantur. In illa rerum perturbatione pacem ubique requiro; ab urbe, ab agris, a provinciis pacem repeto: nuſquam niſi peremptę pacis triſtiſſima monumenta reperio. Periiſſe in urbe pacem, armorum tumultus fragoreſque reſponſitant; abeſſe ab agris, direptio, vaſtitas, ſolitudo, ſilentium ipſum loquitur; extinctam eſſe in provinciis, incendiorum fumus, tanquam ex illius rogi reliquiis erumpens, admonet. Ipsa, quod ſupereſt, privatarum ædium penetralia ſubeo; fratrum ſinum exploro, parentum pectora perſcrutor; hinc quoque pulſa pax & ejecta eſt; neque civilia unquam arma commoventur, quin & fraterna, & his deteſtabiliora ſæviant. Quot in regno provinciæ, quot urbes, quot tecta, quot latebræ ſunt: in tot veluti membra, miſera pax divulſa & diſtracta concerpitur. Hic jacet cadaverum acervis oppreſſa, hic obtrita & obruta ruinis urbium, hic merſa cæde ac ſanguine, hic buſtis adhuc fumantibus conſepulta. O pax! ô deplorata pax! revocare te hoc rerum ſtatu, & ex illis bellorum ſtragibus excitare; cujus tandem, niſi Divinæ virtutis ac felicitatis erit?

Tuę, Ludovice, fuit & virtutis ac felicitatis: hoc virtuti felicitas conceſſit, felicitati virtus elaboravit. Optabamus tibi puero, neque tam commodi noſtri cauſa, quam gloriæ tuæ optabamus; ut externa, quę gerebamus, bella componeres: ſed hoc,

& unum precari tum in domeſtica tranquillitate poteramus, & puero precabamur, adoleſcentem major a bellis civilibus laurea manebat: parabat nobis triſtiora illa tempora, vel fati noſtri vis, vel tui; ut ex iis inſignius tibi victoriæ decus exiſteret, ut jure omnium optimo Pacificus diceteris, hoc eſt pacis procreator & parens; quam, cum funditus periiſſet, cum nulla ejus veſtigia ſupereſſent, Galliæ reddidiſſes. Exſpectabamus, languentem & infirmam a te recreandam; mortuam excitaſti; ut qui miraculo vitam ingreſſus es, miraculo imperii primordia conſecrares.

Quæ Ludovici laus cum ſit clarior, quam ut eam obſcurare vel livor obtrectando poſſit, vel ego aſſentando velim: ut eam ne quis majorem fieri dicendo putet, & amplitudinem ab orationis ambitu quęrere; verbo uno ingentem panegyricum abſolvam: Bellum civile flagrabat, Ludovicus extinxit. Brevis, & contracta laus; ſed eo major, quo brevior: tuta laus, & ſecura, quam neque falſi coarguere quiſquam in tam recenti memoria poteſt; neque verbis exaggeratam, in tanta dicti brevitate criminari. Bellum civile flagrabat: quis incendii non meminit? Extinxit Ludovicus: quis beneficio non fruitur? Omnium igitur eſt deſcripta, & infixa mentibus, Ludovici laudatio: ejuſque oblviſci non poſſunt, quin & recentis belli recordationem, & præſentis ſecuritatis ſenſum amittant.

Verum ut æſtimetis certius, quantum, ex hoc pacis beneficio, ſolidę veræque gloriæ Ludovico acceſſerit: perpendite, quæſo, mecum, quam arduum opus eſſet; tum quam pręter ſpem omnium, quam perfecte, quam celeriter ab adoleſcente principe abſolutum ſit, admiramini. Vexabatur Gallia iis diſcordiis contentionibuſque partium, quę cum

pupilli Regis vexaſſent tempora, tum multo ſunt graſſatę funeſtius, cum is ſuę tutelę fieri per ętatem cœpit ipſe jam imperii tutor, ejuſque habenas per ſeſe moderari. Ut enim ſub coronę ſigni cœleſtis ortum conſurgere venti, ac tempeſtates ſolent: ſic fatale videtur eſſe novis principibus, ut cum oſtendere ſe regno incipiunt, ac ſiderum inſtar exoriri; tum maxime populorum motus, turbę, ſeditiones excitentur.

Quam labem illis regnandi primordiis tantopere infeſtam, cui tandem cauſę adſcribamus? An naturę rerum, qua fit ut infirmiora rerum omnium initia ſint; & regni, perinde atque vitę, prima ętas tenerior quodammodo minuſque robuſta concuti facilius poſſit? An populi ingenio, qui ferox eſſe ſolet, ac dominatus impatiens, ſimiliſque immitis belluæ; quæ cum facile priori domino, a quo fuerat manſuefacta, pareret; ab altero deinde tractari ſe, niſi aliquo uſu condocefacta, non patitur? An cauſis aliis abſtruſis penituſque latentibus; quę nos fato triſtiſſimo, & immiſſis ab irato numine calamitatibus, exercuerunt: ut ſive caſu, ſive errore quodam excitata incendia, magis deinde ac magis ad perniciem noſtram exitiumque creverint. Creverunt enimvero ignes illi, arſeruntque ſic, ut brevi tempore regni partes omnes peſtis rapide dilapſa pervaſerit.

Quam brevi locata ubique civilia caſtra ſunt! quam celeriter collecti ingentes exercitus, munitę arces, occupatæ provinciæ! qui concurſus amentium civium! qui cum ante tot votis, tot conviciis pacem efflagitaſſent; jam cæco furore præcipites, armis ſponte correptis, tota Gallia pacem exterminabant. Ii porro contrariarum partium duces erant, quorum auſpiciis deſponſa & oppigne-

rata victoria videbatur; ea virtute duces, quam fortuna nunquam deſeruerat; ea fortuna, quæ nunquam ſine virtute pugnaverat; ea fama, quæ citra pugnam vincere ſolo nominis terrore poterat.

Aderant magna belli præſidia, magnæ ac formidoloſæ vires; partim collectæ domi ſtrenuis & operoſis conquiſitionibus; partim ab hoſtibus, ſummiſſæ primum, deinde palam magno apparatu ſubminiſtratę; eaque pompa, quam incertum erat, an triumpho ſuo, an funeri noſtro pararent. Imminebant iidem foris, & in fines noſtros incurſabant ampliſſimis exercitibus, quos immenſis opibus & ſuperbiſſimo delectu, tanquam ad ſupremam & decretoriam diem, conſcripſerant. Ardebamus domi, obſidebamur foris. Navim intueri videbar, quam intus ignis depaſcitur, extriſecus procellæ ac turbines exagitant: ut eam, neque à flammis ſervari tempeſtas, neque defendi à tempeſtate flammæ patiantur; eique ſit proinde duplici ſimul exitio pereundum, incendio & naufragio.

Nihil autem erat in hac calamitate triſtius, quam quod eam obſtinatus ad perniciem populus adamaret. Populus natura mitis & tractabilis, quo nullus eſt in orbe terrarum ad regum venerationem propenſior, eo furore correptus, ea veſania præceps actus eſt: ut efferatus repentino quodam impetu, & ab humaniſſimis moribus ad incredibilem immanitatem occulta ignotaque vi traductus videretur. Id nimirum uſuvenit, ut quo quiſque facilior & obſequentior eſt; eo ſit deinde, cum ſemel reverentiam excuſſit, ferocior: neque poſſit manſuetudo ſumma, niſi ſummo furore ſuperari. Vix enim ſe putat niſi maximis de cauſis iraſci potuiſſe, quiſquis ſuæ ſibi lenitatis conſcius eſt: neque modum ullum furori ponit; ne videatur mediocriter læſus,

ſi leviter ulciſcatur. Accedebat diuturna vectigalium impatientia; quę non tam regum voluntas, quam temporum neceſſitas impoſuerat: ex quibus concepta ſenſim iracundia, multiſque annis collecta, levi accedente cauſa, tota effuſa eſt.

Hos optimi populi furores cum mirarentur ſapientes plerique: cum animadverterent, non eſſe Gallię proprium; ſed terrarum omnium commune fatum illud quod commotis ubique ſeditionibus atque turbis, omnia permiſcebat; vixque regionem ullam eſſe, quam iiſdem, aut diſturbatam penitus, aut vehementer agitatam non cernerent: eo ſunt tandem adducti, ut concurſum quendam ſiderum crederent eſſe factum; quę populos omnes ad illam inſaniam, quam arcanis, tam validis impulſionibus concitarent. Faceſſat autem illa ſtellarum quaſi divinitas; quę naturarum omnium fata contineat, & decretis ſuis humana ipſa conſilia voluntateſque moderetur. Micant ignes illi, non cæcis ardoribus incendunt; ducunt animos, non dura neceſſitate rapiunt: adigant brutas animantes, compellantque certis & nunquam irritis impreſſionibus; hominum voluntates non niſi liberis conditionibus, & invitamentis quibuſdam illectas ſollicitant. Fit illud tamen, ut cum hominum magna pars, pecudum in morem, unis inſueverit ſenſibus ac cæcis animi commotionibus parere; eo ferme ruat præceps populus, quo impulſus illi cœleſtes quaſi precario invitabant: effectumque adeo tum temporis eſt, ut ubique dominata ſit vis illa imperioſa ſiderum; ſi qua tum erat, quę ad defectiones civileſque diſcordias induceret.

Sed inventus eſt in Gallia ſapiens, qui dominaretur aſtris, eorumque vim ſua virtute reprimeret. Fuit, Ludovice, felicitas tua fatis illis aſtrorum

potentior: ſidus ipſe fuiſti laboranti imperio, cujus benignitate, cæterorum inclementia ſiderum, mananſque ab iis in terras contagio ſuperata eſt; cujus luce, diſcuſſa tandem eſt illa caligo temporum, quam ſtellæ maligniores induxerant: propitium felixque ſidus his jactatæ fluctibus Galliç; quæ naufragium erat jam jamque factura, niſi tempeſtatem aſpectu clementiore pacaſſes.

Cui noſtrum ſpes tum temporis erat, Auditores, ſummam rem a tam turbido ſtatu, ad tam quietum & compoſitum brevi eſſe revocandam? Quis cum hanc tranquillitatem reſque domi pacatiſſimas intuetur, non ſe in alias quaſdam oras deportatum putet? ſe in eo credat imperio verſari, quod ſuis prope convulſum ſedibus, tam ingentes ruinas paulo ante traxerat? Conferte, Pariſienſes, conferte rerum hunc ſtatum, hanc regni faciem, hanc quietem urbis; cum illius perturbatione temporis, quo veſtra vobis Lutetia carceris loco erat: cum, neque pedem extra pomœrium efferre paterentur effuſi prædonum exercitus hoſtiliter ubique graſſantium; neque in urbe tuto commorari ſineret manus egentium & perditorum, quæ hic una regnabat: qui nec a publicis ædibus incendium, nec vim a ſenatu, nec cædem a civitatis proceribus abſtinebant. Quis veſtrum ædes ſuas tutas credidit, cum ardentem urbanam baſilicam intueretur? quis vitæ ſuæ non timuit, cum optimatum interneciones, & publica parricidia cerneret? Tandiu licebat vivere, quandiu ſicariis libebat: hos libertatis vitæque veſtræ habebatis arbitros, apud quos nocens erat, quiſquis civis optimus videbatur. Quid dicam conjunctiſſimorum hominum perfidias? quid proditiones domeſticorum, fraudes, ſuſpiciones, pavores perpetuos; quibus fiebat, ut nihil quiſquam ne ſuis quidem in

laribus ſecurum duceret? Inter tot pericula hoc timebatis magis; quod incertum vobis erat, quid omnium maxime timeretis.

Interim autem, cum e provinciis omnibus, quas eadem mali vis premebat, Lutetiam multi, tanquam ad pacis aſylum aſpirarent: vix attigerant iidem Lutetiam, cum illis ſpectaculis attoniti, jam provincias ſuas deſiderabant: viciſſimque, ſi qui: clusis vigilibus ex urbe proripere ſe, & tanquam ex ergaſtulo evolare potuerant; cum eoſdem ubique luctus, eadem latrocinia, direptiones & cædes eaſdem intuerentur; eos continue deſertæ Lutetiæ pœnitebat. In illa tam communi Galliarum calamitate, quemcunque inſederant locum, is omnium miſerrimus videbatur, ut in ægro & fracto malis corpore, ea demum pars una omnium vehementiſſime dolet, in quam ægrotus incumbit. Erat autem illud in tot Galliæ morbis luctuoſiſſimum; quod in tanto corpore, pars eſſet ex omnibus nulla, quæ medicinam vel facere, vel pati vellet; omnes exitium ſibi ac perniciem per aliarum exitia molirentur.

Emerſiſſe Galliam ex his fluctibus: ſupereſſe tot malis incolumem; neque ſtare tantum; ſed omnibus anteſtare, quam omnium injuriis nuper expoſitam videbamus, oppugnatam ab hoſtibus, a ſuis divexatam, a nemine, præterquam a Ludovico defenſam: & invitam ab eo ſervatam eſſe: qui poterunt hæc a poſteris quondam audita fidem obtinere; quam impetrare a nobis; etiam præſentia, etiam oculis explorata, vix poſſunt?

Quæ dum ſapientiſſime curarentur, quam multos interim audiebamus in omni congreſſu, in circulis omnibus, rerum adminiſtrationi obtrectantes, ſua interponentes ſummis de rebus judicia, deplorantes regii conſilii cæcitatem; exclamantes, præ-

poſteras iniri vias reſtituendę in integrum reipublicæ; his artibus, hac rerum gerendarum forma perdi Galliam, ac funditus everti. Aſſueſcite parere, populi: aſſueſcite arcana regum conſilia venerari: quorum non potentiæ tantum eſtis, ſed etiam ſapientiæ ſubjecti: cum utramque regendis vobis a Deo vicariam acceperint. Sed nimirum eſt iniquior ferme populus iis, quæ ſupra ſe poſita cernit: atque ut in cœlo, ſive ſudum, ſive nubilum eſt; aliquid occurrit ſemper, de quo moroſiores quidam expoſtulent: ſic in imperio nunquam non aderit, quod prava & diſtorta ingenia conquerantur. Quid quod magnos ſe nonnulli credunt, ſi magna faſtidiant? *Et*, quod aiebat ille, *ut putentur ſapere, cælum vituperant.*

Illis conſiliis, quæ criminabamini, o cenſores egregii temporum, vicit Rex Pacificus: & ita vicit, ut ejus magnitudinem victoriæ non poſſitis, niſi ex Galliæ amplitudine metiri; quæ cum tota periiſſet, tota ſervata eſt; & profligatis penituſque conſumptis armis civilibus, ab ipſo recuperata. Quid enim? ubi domeſticorum tumultuum ulla veſtigia? ubi defectiones provinciarum? ubi potentium conjurationes? ubi pars ulla, quę a principis imperio deſciſcat? Recognoſce teipſam Gallia: circumſpice, quaqua pates: luſtra curioſe partes omnes: num qua tranquillitatem tuam intus aura conturbet; num quæ civilium copiarum reliquiæ apud te ſuperſint; num quas arces factio ulla ſervaverit; num quod caſtrum, quo reſpectare ſeditio poſſit, num quem aggerem, quo ſe turbulenti cives protegant; num quod toto regno propugnaculum, quod regiis armis ſimul non fuerit, & paci ac concordiæ patefactum. Nam fines ipſos non moror: qui ſicubi habentur infeſti, dum in alios viciſſim

incurrimus; id externi belli totum, non civilis eſt. Hoc dico, nihil domi niſi pacatiſſimum ſupereſſe.

Et hanc quidem Galliç ſalutem a Ludovico reſtitutam hoc admirantur impenſius gentes cæteræ; quod damnis experiuntur ſuis, quam inſanabiles illæ plagæ ſint, quas a ruinis civilibus regna patiuntur. Hiſpanicæ ditioni Gothalania & Luſitania ſubtractæ ſunt: altera belli theatrum eſſe ex illo non deſiit; alterius ne recuperari quidem particula potuit. Britanniam conjuratorum arma furoreſque turbarunt; regi ſuo tota periit. Iiſdem Polonia motibus concuſſa eſt; nondum ſedati ſunt: iiſdem agitatum eſt Turcicum imperium; adhuc perſeverant. Una omnium Gallia, cum periculoſiſſime quateretur, firmiſſime ſtabilita conquieſcit; una plena a principe ſuo ac perfecte recepta, priſtinoque imperio placidiſſime ſubjecta eſt: ut in tot prodigiis nihil ſit admirabilius, quam tantum regnum tam brevi tempore fuiſſe recuperatum.

Sed admirationem omnem id ſuperat: quod citra ullam vel converſionem reipublicę, vel labem religionis, recreati ſimus a bellis civilibus; quæ vix unquam antea, utraque incolumi, ſedari potuerant. Quid ab iis patiatur forma reipublicæ, Roma didicit: cum domeſticas ejus diſcordias, & diuturnam tot bellorum jactationem ita compoſuit Auguſtus; ut a multorum poteſtate ad unius dominatum omnia deſciverint. Quam ſint eadem peſtifera religioni, experta eſt Gallia inteſtinis ſuperioris ſeculi bellis: quorum triſtes reliquæ ſunt, Calvini poſteritas in Chriſtianiſſimi imperii ſinu ac gremio ſecura. Ac ne ab illa, vel locorum, vel temporum longinquitate arceſſere operoſius exempla neceſſe ſit: quanta recens eſt Britannicum in regnum, per civiles inducta motus, reipublicę

ſimul religioniſque mutatio! Neutrius Gallia detrimentum ſenſit, Auditores: ſed ita quietem a perturbatis illis temporibus recepit; ut nihil, vel de reverentia principis, vel de ſanctitate religionis amiſerit. Quando enim Regis viſa eſt firmior poteſtas? auctoritas major? Cui quidem ignominioſum non fuit iis motibus concuti, ſed iiſdem non everti glorioſum. Profuit tot opibus, tot conatibus, tanta vi tantoque impetu oppugnatam eſſe; ut invictum eſſe in Gallia Regem, & populus, & Rex ipſe doceretur.

Religioni vero adeo nihil de ſua integritate deceſſit; ut novus etiam illi nitor, novum pacis & concordię decus, ſedatis Janſenianę controverſiæ tumultibus, acceſſerit. Pacificum ſe Ludovicus non credidit, niſi geminę pacis auctor eſſet; alterius quam Regno ſuo, cujus parens eſt; alterius, quam Eccleſię, cujus eſt filius, reſtitueret. Et utramque certe reduxit; alteram ſuo, alteram ſummi religionum interpretis arbitrio ſancitam: illa victoriæ fructus, hæc pietatis fuit; utraque ſummę felicitatis. Quod enim reſpiramus ab iis turbis; quibus exercita religio annis amplius decem, magno bonorum omnium luctu, metu majore fuerat: tuum, LUDOVICE, munus eſt; qui tuis ad Pontificem Maximum literis, precibus, auctoritate, e Vaticano pacem tanquam e cœlo devocaſti. Conſtantini Magni pietatem imitatus es: qui hoſtibus terra marique domitis, pace univerſo imperio parta, reddendam quoque religioni pacem, compoſitis ejus diſſidiis putavit; & Eccleſiam ab Arianorum peſte, Eccleſiæ ipſius auctoritate vindicandam. Sed Conſtantino in hoc felicior es, quod is Arianam hæreſim ne ſic quidem oppreſſerit: tu, cum nemo ſe contumacem & refractarium ad hanc

diem videri velit, ſperare merito poſſis, non ſopitos eſſe tantum, ſed etiam extinctos ignes illos, quos Batavica novitas accenderat; tutaque apud nos fore, tum ab impudentibus calumniis, tum a futilibus interpretamentis Romana oracula, quæ tuis edictis protecta ſunt. Quod ſi quis exiſtat unquam adeo vecors, ut neque pontificia fulmina, neque regia vereatur; ſi quis Galliarum Epiſcopis tam inſolenter illudat, ut ejus patrocinium doctrinæ ſuſcipiat, quam illid communibus ad ſanctiſſimum Patrem literis, & *excerptam e Ianſenii libris* agnoſcunt, & *novam* appellant *hęreſim*, oppreſſamque gratulantur: hujus nos, ſi quis tamen hujuſmodi prodibit unquam, non tam reformidare impetum debebimus, & conceſſæ divinitus paci quidquam metuere, quam vel ridere hominis fatuitatem, vel impietatem & ſacrilegium execrari. Exciſa eſt enim profecto, exciſa funditus illa Babylon, arx illa diſcordiæ, illa domeſticæ pacis inimica: cujus ſi qua ſunt tamen audita murmura; fragores ii ſunt, ingentis ruinę teſtes; ſingultus extremi ſunt morientis belluæ, eoque vehementius ululantis, quo funeſtiore plaga percuſſa eſt.

O pacem! Auditores, pacem Ludovico glorioſam! & eo certe priore altera præſtantiorem, quo & ſanctior eſt, & longius per Chriſtianum orbem latiuſque diffuſa. Cum enim aliis non ſit incluſa finibus, quam quibus eſt Innocentii auctoritas circumſcripta; peragravit ſcilicet regna omnia, oras terrarum omnes obiit: ut quorum, vel disjunxerant animos novitates iſtæ, vel disjuncturæ propediem erant; eos aut recrearet inducta concordia, aut a præſentibus funeſtiſſimorum diſſidiorum periculis defenderet. Immenſa & infinita pax! an civilis dicenda, quæ civium compoſuerit diſcordias?

an externa, quæ aliarum etiam gentium vel reſtituendæ, vel confirmandæ tranquillitati proviſa ſit? Utramque certe laudem pax iſta ferat, ut ejus auctor Ludovicus utraque decoretur.

Verum quid religioni, quid populis cæteris orbique terrarum princeps noſter hac pace contulerit, perſequentur ornatius alii; quibus & otii plus erit, & copia dicendi beatior: me nefas eſt patriæ fines huic orationi præfixos prætergredi; cui tum plene civilis eſt reſtitura pax, cum religionum divortia ſublata ſunt. Nunquam enim quietum imperii corpus eſt, dum anima imperii religio luctatur: nunquam eſt ſine motibus reſpublica, dum hoc ejus fundamentum concutitur. Rara inter eos concordia, qui de re tanta diſſentiunt. Suſtulit Ludovicus illam domeſticorum bellorum ſcaturiginem, illum publici incendii fomitem; ex quo civiles flammas intelligebat poſſe mox tenuiſſimis igniculis ſuſcitari.

Satis autem non fuit Pacifico principi, publicos bellorum motus comprimere: niſi privata quoque arma, & internecinam ſingularium præliorum inſaniam, qua poteſt auctoritate maxima & graviſſimis interdictis compeſceret. Parum ipſi fuit, publicæ rei pacem reſtituere: niſi & eam privato cuique redderet. Hanc domeſticæ quieti debere ſe acceſſionem credidit: & debebat certe, ut pleno beneficio frueremur. Parit enim civile bellum ſimultates infinitas, graviſſimaque odia: quæ conflata mutuis injuriis & offenſionibus, ſic hærent exulceratis animis penitus infixa; ut ne publica quidem conciliata pace & concordia deponantur. Quæ ſi armis ulciſci cuique fas eſſet; redintegratum potius, quam confectum bellum civile videretur. Quis enim hæc prælia non videt, quanquam minore apparatu ac ſtrepitu, longe tamen triſtiori

cæde ac carnificina geri? Ac nimirum ſimiles mihi videntur publicæ diſſenſiones lati cujuſdam incendii; cujus erumpentes flammæ & ædium faſtigia ſuperantes, eminus, ut ſuccurratur, admonent: cum tenebricoſa illa inter privatos certamina; inſtar ſint cæcorum latentiumque ignium; qui eam, ad quam adhæſerunt, materiam, quo carpunt occultius, hoc fœdius lenta malignaque peſte conſumunt. Componantur bella externa, civilia opprimantur: bellum tamen omnium atrociſſimum uſque eo vigebit in Gallia, dum illa gladiatorum amentia coërceatur: bellum æternum & inexpiabile; quod nulla unquam pace componi, ac ne induciis quidem ullis intermitti potuit: bellum inſidiciſſimum; quod nunquam ſtrages edit, quam in ſumma pacis & otii tranquillitate, triſtiores: bellum funeſtiſſimum; quo profunditur ſanguis generoſiſſimus, cum in cæteris magna ſæpe viliſſimi jactura fiat. Illam parricidiorum diram ac deteſtandam libidinem, illas ſicariorum furias, illas domeſtici belli reliquias, quod recentibus edictis percuſſit Rex Pacificus; communi cum regibus aliis laude fruitur: ſed quod pœnas conſtituit multo quam ante graviores; quod edicta illa, non monitoris ullius expreſſa conſiliis & hortatibus, ſed ſua ſponte meditata conceptaque conſcripſit; quod eorum ſe tam acrem vindicem, & tam inexorabilem præbet, ut iis aſpectu ſuo & comitatu interdictum velit, qui pro iſtius flagitii reis deprecatores acceſſerint; hoc vero quam inſigne, tam peculiare Ludovico noſtro decus eſt.

Quam vero iſtud quoque unius eſt ejus proprium! quam a nemine uſurpatum prius! quam ex ſincero vehementique amore pacis ac concordiæ profectum! quod, ut regiam ſuam paci dedicaret, domeſticos

domeſticos aulicoſque omnes, hoc eſt, totius Gallicę nobilitatis florem, jurejurando adegerit; nunquam ſe, quiſquis læderet, quiſquis laceſſeret, ad certamen ſingulare conducturos. Seorſim advocabat ſingulos rex optimus; amabat blande impetrare, quod ſeveriſſime per legem imperaverat; chirographum etiam exigebat, cujus fide obſtricti tenerentur: eoſque tum demum agnoſcebat ſuos, cum hac cautione obligatos cerneret. Cujus formulam jurisjurandi, quam multi etiam e regio exercitu ſubſcripſerunt! Accerſebantur alii ſubinde atque alii ab humaniſſimo principe, excipiebantur benigne, laudabantur prolixe, ſacramento denique rogabantur. Obtinebat Ludovici benignitas, quod extorquere ſuppliciorum omnium terrores minime potuiſſent, Repetebant illi caſtra pacatioribus in ſuos animis, in hoſtes acrioribus. Rex unus, & amorem pacis, & belli ardorem ſimul impreſſerat. Princeps vero Pacificus, qui etiam inter arma, etiam in cæde ac ſanguine, tam benignos manſuetoſque ſenſus excitat. Princeps, animi clementia, ſuavitate morum, affabilitate ſermonis, oris ipſius lenitate pacificus: merito dicendus *princeps pacis*, & a Deo in tantæ communionem laudis adſcitus.

Hæc cum reputo ipſe mecum, cum cætera Ludovici Pacifici decora & ornamenta otioſe contemplor, ſic ſtatuere ſoleo: Principes cæteros, qui pacis affectaſſe laudem, aut quoquo modo etiam meruiſſe ſunt viſi; nequaquam eſſe cum ejus uniûs gloria conferendos.

Pacificus literis omnibus atque linguis prędicaris, Salomon: fruere certe hac laude, quam tibi Divina quoque auctoritas aſſeruit. Et conceſſo tamen divinitus otio, ad umbratilis ac delicatæ vitæ ſegnitiem abuſus es; ac ſpecioſum pacis nomen videri poteras

D

deſidiæ tuæ prætendere. Principi noſtro tranquillitas publica, non inertiæ nutricula; ſed induſtriæ fructus ac fortitudinis fuit: non in pace delicias, ſed pacem in periculis quæſivit, diuturnis laboribus, itineribus moleſtiſſimis, eaque vel locorum, vel temporum difficultate; ut ad extruendas ejus menſas, non jam regales epulæ, ſed ſimplex & popularis annona quæreretur. Tanti erat Ludovico, dummodo ſuos reſtituta pace ſervaret. Nunc vero quam omnibus quietem, ac tranquillitatem peperit, ea prope unus non fruitur: ſed exhauſtis bellis civilibus, convertitur ad externa; ut Galliæ ſit idem & Europæ pacificator. Ab armis non diſcedit, quibus nulla ſunt præſidia majora pacis: neque regem eſſe ſe putat, ut beatus ſit; ſed ut beatos faciat.

Honeſte in pace atque otio vixiſti, Theodoſi Junior: ſed tibi parum glorioſo illuſtrique otio; cum illud acceperis felicitate temporum, non tua virtute quæſieris. Beatus princeps; qui cum in pacatam ætatem incidiſſes, quietem in ea placidiſſime tenuiſti: publicæ tranquillitatis heres potius, quam auctor; pacificus ea re viſus; quia pace fruebaris: conſervator habitus reipublicæ; quia pacem, quam in ea nactus eras, bellicis furoribus non turbaſti. Tyrannorum hæc laus eſt, eorum videri munerum auctores, quæ non eripuerint. Ludovicus non reperit pacata omnia, ſed fecit: ejus beneficium eſt, rerum omnium ſuaviſſima pax, tanquam e longinquo revocata: diſſenſiones, concordia; belli pericula, ſecuritate pacis; armorum tumultus, domeſtica tranquillitate commutavit: Soli hac in parte ſimilis, qui cum oriatur in nubilo, caliginem deinde omnem ſua luce diſpellit.

Henrice ſecunde, pacem feciſti tu quidem, ſed externam; quæ an ſatis honeſta, & a ſapientibus

probata fuerit, in præſenti non quæro. Volo redemptam iniquis conditionibus non fuiſſe, volo decoram, volo te dignam videri. Quid tamen ſi te, ſi Philippum ſecundum Hiſpaniæ Regem, quicum pacem illam pepigiſti, politici quidam affirment, peſſime hoc facto de regnis veſtris, peſſime de pace ipſa meritos: nunquam ſcilicet domi tutiorem eſſe pacem, quam cum foris bellum verſatur: atque ut ſubterraneis ventis pandenda ſpiracula ſunt, quibus erumpere illos præſtat, ac perflare terras, quam eaſdem inteſtinis motibus conquaſſatas evertere; ſic turbulentis ingeniis pandendam eſſe viam ad bella quædam externa, in quibus eorum furor, minore damno, quam in patriæ ſinu occupetur. Sed nihil de tua illa laude deteratur: parum ii conſulti ſint, qui pacis tuendæ cauſa prodi pacem volunt: glorioſum ducatur, iis etiam vulneribus mederi; atque ut in principis, ita in patriæ ſanitate, nihil leve ſit parvique pendendum. Quid illud tamen eſt, in quo tam inſigniter elaboraſti? Bellum, inquis, quod patria cum hoſte gerebat, compoſui: beneficium eſt; ſed hoſti, patriæque commune. Pacem in Gallias retuli: retuliſti? e Galliarum gremio pax non diſceſſerat: vigebat in urbe, florebat in agro, ubique colebatur. At huic tamen bella, quamvis externa, incommodabant: bene eſt: laboranti paci opitulatus es; Ludovicus intermortuam & jacentem excitavit: ut prope dixerim, tantum inter te & illum intereſſe, quantum inter medicum & Deum.

Henrice Magne, an bello, an pace major? utrobique certe maxime: tu ſuperiorum principum laudes illas complexus es unus, eaſdemque ſuperaſti; qui, & vixeris in otio regaliter, & pacem non acceperis ab alio tranſmiſſam, ſed tua virtute confe-

ceris. Quam ſi domi foriſque peperiſti, prius tamen conſtituiſti domeſticam, ut externam deinde glorioſius ſecuriuſque componeres. Tuis igitur veſtigiis nepos ter maximus ingreditur: alterum pacis tuæ decus, recens obtinuit, alterum ſpes eſt minore, quam a te relatum eſt, ſpatio temporis obtinendum. Interim tamen in hoc vinceris, quod civium paci a te conſtitutæ, religionum diſſidia ſuperfuerint; hic & recentes Eccleſiæ diſcordias, & civile bellum, eodem ferme puncto temporis oppreſſerit. In eo cedis, quod pacem cruento bello multaque cæde obtinueris; hic nullis fere niſi pacificis artibus eandem comparaverit. Tibi pugnæ tres magnis cladibus committendæ fuerunt, fortuitis prælii quotidie dimicandum, expugnandæ urbes, vaſtandæ provinciæ; perdenda prope Gallia, ut Gallia ſervaretur. Ludovicus expeditis armis, non ad belli ſævitiam, ſed ad pacis ſecuritatem, nulla magnarum urbium vi capta, ſignis vix ullo juſto prælio collatis, incredibili civilis ſanguinis parſimonia vicit: victoriæ præmium pacem retulit; hoc majori laude, quod non tantum in componendo bello, ſed etiam in gerendo, Pacificus fuerit.

Neque tamen incuſandus Henricus eſt, quod tot ſtragibus, viam ſibi ad domeſticam pacem munierit: ſed Ludovico, quod eam pene incruenta victoria reſtituerit, gratulandum. Habet enim hoc civilis ille furor, vix ut opprimi potuerit unquam, niſi multo ſanguine ſatiatus; neque pax certa componi ſoleat, niſi pars altera ingenti clade frangatur. Nimirum numquam eſt illud quam in domeſtica diſſenſione verius, belli filiam eſſe pacem: atque ut ex rudi & incompoſita mole pulchrum hunc ordinem rerum emerſiſſe oportuit; ita fati quadam ne-

ceſſitate fit, ut ex ſumma perturbatione bellorum, tranquillitatis & concordiæ ſuavitas effloreſcat.

Sed Ludovici cauſa violata illa lex eſt: denſiſſimæ caligini depellendæ non fulminum lucem attulit, quæ procellam augent potius, quam ſedant: ſed affulſit inſtar benigni ſideris; nubeſque omnes liquido & ſereno lumine, nullis ruinis, nulla violentia, diſcuſſit. Armorum fulgores vidimus, ſed quos vix ulli fragores, fulminumque jactus exceperint: aut ſi qui forte viſi ſunt, vel terrendis animis, vel domandæ pervicaciæ neceſſarii; incredibilis eos humanitas eſt & clementia conſecuta. Pro pœnis omnibus, quas repetere pro victoriæ conditione poterat; veniam & impunitatem, injuriarumque oblivionem perpetuam, etiam edicto ſancitam voluit. Bello fractis, pacem conceſſit; diuturna jactatione vexatis, tranquillitatem reddidit; rerum omnium difficultatibus preſſos, in priora commoda reſtituit: ut victoria frui non tam victor, quam victi ipſi viderentur.

Quod ſi Romanorum ille mos apud nos obtineret; ut civis unius ſervator ea corona donaretur, quam honore coronis cæteris præſtare cenſebant: quis coronas civicas, quas hoc bello, ſeu potius hac pace meritus es, enumerare, LUDOVICE, poſſet? ſervaſti rebelles; quos ne perderes, remiſſiore Marte perſequi, & prope ſine clade vincere voluiſti: ſervaſti victos; de quibus una lenitate ac miſericordia triumphaſti: ſervaſti omnes; a quibus belli civilis perniciem depuliſti. Coronam igitur civicam, quam accepiſſe Auguſtus a genere humano futiliter & aſſentatorie dictus eſt, vere profitebimur te hac victoria de Gallia meruiſſe. Habendus itaque tibi populi cenſus eſt: non vectigalium cauſa, quæ plebs una pendit;

ſed coronarum, quæ tibi etiam a nobilitate debentur, deſcribenda totius regni capita ſunt: ut intelligamus, quot coronæ ſint unico ſervatoris capiti tribuendæ.

Acceſſit autem victoriæ tuæ decus alterum: quod dum populum ſervares, imperii quoque tui majeſtatem tuereris; quæ cum populi ſalute, pace, concordia, conjuncta eſt. Nam quæ tandem, in illa confuſione temporum, Regi ſupereſſe majeſtas, quod imperium, quæ auctoritas poteſt? Conſcribit edicta; non paretur: tributa exigit; non impetrat: educit copias; adverſæ aliæ procedunt. Hoccine eſt, amabo, regem eſſe? regem ſine fiſco, ſine ærario, ſine populo; regem ſine regno. Ac mihi quidem videtur hujuſmodi rex formoſum eſſe caput fœdi lacerique corporis; cujus membra omnia vel conſumpta tabe ac macie, vel cooperta tetris ulceribus & ſanie fluentia, vel fracta denique & imminuta ſunt: quibus membris ſi caput imperet, non obſequuntur; ſi prodeat, ſunt dedecori: omninoque præſtaret non eſſe caput, quam iſtiuſmodi corporis caput eſſe. Vindicavit ſe Ludovicus ab hac injuria: curavit totum imperii ſui corpus, quod lues illa domeſticæ diſcordiæ peſſundabat: unaque & regno pacem, & ſibi regnum aſſeruit.

Tum enimvero regnare mihi videntur Principes & decus imperii retinere, cum pacatis & concordibus populis dominantur. Quanquam enim inſit illis majeſtas ſua ſemper, quæ nullis injuriis temporum eripi, nulla iniquitate fortunæ extorqueri poteſt: latet nihilominus ejus ſplendor, quandiu cæcis illis tumultuum factionumque nubibus ac procellis involuta eſt. At cum tranquilla omnia & ſerena ſunt: tum demum tota ſe majeſtas principis explicat, & plena luce reſplendet. Quo-

factum eſt quondam, ut ſerenitatis nomen imperatores, tanquam omnium auguſtiſſimum, adamarint. Et vero cum ſint reges Divinæ majeſtatis ſimulacra quædam, & ſummi regis imagines mortalibus ad venerationem propoſitæ: eo certe præſtantius imperant, quo perfectius in regnis ſuis exprimunt Divini ſimilitudinem imperii; quod in auguſto illo pacis domicilio, tranquillitate ac concordia ſempiterna compoſitum eſt; ubi, quo civium eſt tutior ſecuriorque felicitas, eo majeſtas regnantis numinis eſt major.

Hanc ſibi formam imperii Ludovicus conſtituta pace deſcripſit: neque regem ſe credidit futurum; niſi regnum, quod laceratum diſcordiis ac tumultibus perditum regni ſpeciem vix habebat, quietum ac tranquillum obtineret. Regnum hereditate prius acceptum; nunc vero & partum victoria, & populi ſuffragiis atque electione delatum. Quid enim? nonne hi regem elegiſſe ac renuntiaſſe dicendi ſunt: qui cum non parerent prius, ac regem proinde non agnoſcerent; expugnatis tandem a pacifico victore voluntatibus, & divina quadam virtute victis, repentina converſione facta, regiis ſeſe imperiis ultro ſubjecerunt? Ita ſi non hereditario jure regnaret Ludovicus, regnum victoria quæſiiſſet: ſi non peperiſſet armis; voluntariis illis conſpirantium populorum obſequiis, illa parendi alacritate conſequi potuiſſet.

Optanda igitur (pace tua Gallia dixerim) optanda Ludovico erant hæc tempora: quæ ſi futura erant aliquando, tam felix habendus eſt princeps noſter, quod ea ſit ad gloriæ ſuæ opportunitatem nactus; quam Hercules, quod monſtra quæ domaret, repererit. Dolenda fortunæ noſtræ tempora; ſed Ludovici gloriæ ac felicitati expetenda. Quan-

quam! orationem hanc meam execraretur Princeps optimus, qui gloriam ſuam nunquam putavit a populi fortuna eſſe ſejunctam.

Gratulabor igitur nobis, ut Regi gratulari impune liceat. Ita eſt, Auditores, ex illa calamitate, cujus diſſimulare damna non poſſumus, fructum cepimus opinionem majorem. Principem nobis hęc tempora finxerunt; utriuſque fortunæ gnarum, utriuſque victorem; ſcientem belli, amantem pacis; quam nullæ terreant vices armorum, nullæ factioſorum fraudes circumveniant; principem non puerilibus deliciis, ſed regiis curis & conſiliis innutritum. Cui ſi proſpere omnia feliciterque, in alta & beata pace fluxiſſent: quem hodie principem haberemus? qua rerum gerendarum induſtria? qua cognitione reipublicæ? qua peritia bellorum? quę nunc Ludovici laus eſſet? hæc una: rex eſt, regis filius, regum nepos, regie, id eſt, laute ac ſplendide vivens. Qua commendatione, quanto hæc major eſt atque illuſtrior: rex eſt, rex bellator, rex Pacificus, rex pereuntis regni conſervator?

Quæ Ludovici laudes ita ſunt cum noſtris utilitatibus commodiſque conjunctæ: ut quantam ipſi gloriam ad immortalitatem omnem, tantam nobis in poſterum ſecuritatem & fiduciam adpromittant. Nam ſi qua nobis procella minaretur, hac eſſemus una cogitatione ſecuri Alias vidit tempeſtates Ludovicus: alios fluctus, ventoſque vicit. Quid formidare poſſit grandior, qui vix adoleſcens tam formidoloſa ſuperavit? quid eo gubernatore timeamus, quem tam illuſtre tyrocinium videmus in difficillima tempeſtate poſuiſſe? Pacificus eſt: nihil nobis a bellorum immanitate metuamus. Bellator eſt: nunquam eſt pax, quam ſub bellicoſo principe, tutior.

Hæc,

Hæc, inquam, fidenter uſuparemus: ſi quid deinceps periculi, reſtitutæ a Ludovico ſaluti & incolumitati publicæ crearetur. Sed fundatior eſt profecto, quam ut eam evertere quicquam & labefactare poſſit. Nunquam enim ſolet eſſe regnorum ſtatus, quam poſt turbulentiſſima tempora, pacatior: ſive id populi moribus tribuendum eſt, qui pertæſus armorum, eorumque moleſtiis fractus, reſipuit tandem; & pacis tranquillitatem amare in belli tumultibus didicit: ſive prudentię conſilioque principis, qui quo perturbatior eſt rerum facies; hoc acrius, eas ut componat, & quaſi de integro inſtauret, connititur. Concuſſa igitur eſt Gallia; ut firmius deinde niteretur: turbata, confuſa, everſa prope eſt; ut revocata meliorem in formam, & in pulchriorem ordinem reſtituta novum decus ornamentumque reciperet. Atque ut emendare depravata tempora Jul. Cæſar non potuit, quin caſtigatiores annos antecederet is, qui confuſionis annus eſt dictus; annus menſium quindecim, annorum omnium, qui ante fuerant, perturbatiſſimus; qui cum cæterorum labem exhauſerit, æquabiliorem deinde curſum inſecuta tempora tenuerunt: ſic neceſſarius prope Galliæ fuit confuſionis hic annus; ut ad eam domeſticæ pacis, qua nunc fruimur, quietem & tranquillitatem aſpiraret. Annum egit confuſionis, ut fortunatiſſima ſæcula duceret: annum exitio nobis futurum, niſi ex ejus ruinis felicitatem noſtram Ludovicus excitaſſet.

Ex iiſdem, LUDOVICE, gloriam tuam excitaſti: gloriam, & bello quod oppreſſiſti, ſingularem; & pace quam reſtituiſti, pene divinam. Hominum enim eſt, gerere bella; Dei, componere: aut ejus certe, cujus *cor in manu Domini poſitum*, & ad omnem ejus ductum flexibile & obſequens,

ſed conſervatarum urbium ſimulacra: non captivi duces; ſed Gallica nobilitas, a triſtiſſima gladiatorum conditione, tanquam a ſervitute, liberata: non deſcriptus in tabulis hoſtium numerus, quos cecideris; ſed civium, quos ſervaveris.

Plauſuum interim & acclamationum loco, vox ubique una reſonabit, LUDOVICUS PACIFICUS. Non afferentur meditata & prolixa præconia, quæ, vel decantentur triumphanti tibi, vel in æra & marmora incidantur. Suſpecta tua laus eſſet, ſi artificio adulterata verborum, & conquiſitis elegantiis adornata, non ſimplex & ingenua prodiret. Nunquam micat illuſtrius, quidquid eſt illuſtre per ſeſe, quam cum nudum eſt. Nudæ igitur laudes tuæ, nudæ noſtræ gratulationes, LUDOVICE, prodibunt: & panegyricorum, epiniciorum, monumentorum omnium inſtar obtinebit una vox: LUDOVICUS PACIFICUS.

ARMANDO BORBONIO PRINCIPI DE CONTY

GRATIARUM ACTIO

Pro Scholis Claromontanis decenni commoratione ornatis.

PARISIIS III. KAL. OCT. CIↃ. IↃC. XLVII.

PRIMUS hic agitur ſolemnis academiæ noſtre dies PRINCEPS SERENISSIME, ex quo fuit conſpectu convictuque tuo, poſt annos decem perpetuæ conſuetudinis, mœrore ſuo

ſummo tandem orbata. Nihil interim eſt ab ea prætermiſſum officii, quo proſequi abeuntem poſſet: effuſa eſt in ſenſus omnes gratiſſimę voluntatis, pro tanto tamque diuturno beneficio: dederunt amoris perinde doloriſque ſignificationes, exedræ atque ſcenæ: neque dies nobis locuſve ullus a laudibus vacavit, deſiderio luctuque temperatis. Sed privata hæc erant, & domeſticis incluſa parietibus: publico beneficio publica gratia debebatur Deſignaverant hunc diem expectabantque jamdudum Claromontanæ ſcholæ, quo partem hanc implerent officiorum: atque in celebritate ſua maxima, tanti debiti non ſolutione quidem, quod nullius opis eſt; ſed quod poſſunt unum, profeſſione fungerentur. Quod dum a me hujus collegii nomine præſtabitur; erit id orationi meæ percommodum, quod neque apud te, PRINCEPS SERENISSIME, neque apud eos qui adſunt, notam aſſentationis ullam verebitur. Nam & eorum video neminem, qui laudes omnes tuas, quæcumque informari oratione poſſunt, ſuis de te judiciis non vincat; & tibi, Princeps, notiores nos eſſe confido, quam ut vani adulatores poſſimus videri. Noſti amorem noſtrum: ſatis hoc unum eſſe ad tollendam fuci ſuſpicionem poteſt. Quidquid a me dicatur, pervidebis plura & ampliora multo in animis omnium noſtrum, quorum tibi ſemper ſinus intimi patuerunt. Prodire toti non poſſunt noſtrorum pectorum ſenſus; ſed nimirum eos a te videri malumus, quam audiri: contineri non poſſunt iidem a nobis omnes ſed neque ſinceritati noſtræ injuria, neque modeſtiæ tuæ vis ulla fiet; ſi quibus referendis gratiis impar eſſet æternitas ipſa, iiſdem agendis hora vix una deſtinatur.

Exigua hæc eſt mora temporis, Auditores, cujus

a vobis uſuram poſtulo, ut Armando conſecrem: non quo delibare de omni genere laudum, & infinita illius decora perſequi operoſius cogitem; aut quo perpetua decem annorum beneficia moliar in horæ unius anguſtias includere; quorum alterum ambitioſi, alterum ingrati conſilii foret, pleniſſimum utrumque temeritatis: ſed, quod erit hujus loci, & inſtitutæ a me gratiarum actionis maxime proprium; huic ut inſiſtam uni: quid ab Armandi Borbonii dignitate ſumma, deinde quid ab excellenti ejuſdem ingenio academia noſtra ſplendoris acceperit. Quid ſi res tantas neque amplecti liceat iniquioribus ſpatiis, quę ſunt huic orationi deſcripta; neque aſſequi facultate dicendi tenuiſſima, qua me inſtructum intelligo: ita ferme de infinitis in nos Armandi promeritis ſtatuendum a vobis in pręſenti puto ut ſacris divinisque de rebus; quę cum nulla poſſint vel ingenii, vel temporis amplitudine comprehendi; nullum eſt tam breve tempus, quo eas colere quivis, gratoque animo ſalutare non poſſit. Non negabitis, opinor, huic argumento gratiam, cui reverentiam quoque impertimini: captare hac in oratione ſtudia voluntateſque ſine auditorum injuria non poſſum; eorumque offenſionem incurrerem, quorum gratiam aucuparer.

Hoc primum ſcholæ noſtræ contendunt: nunquam munus ullum, aut collatum eſſe in quemquam, aut potuiſſe conferri nobilius, quam quo ab Armando Borbonio donatæ ſunt. Patrocinium iis ſuum non negare, ſingularis gratiæ fuiſſet: benevolentiam præſtare, ſummi beneficii: amorem totum impendere, incredibilis cujuſdam & mirificę largitatis. Nunc vero non tegere umbra quadam præſidii, ſed toto ſplendore regii nominis illuſtrare; non mulcere benevolentiæ ſignificationibus,

ſed fovere complexu perpetuo; non amoris ſui modo copiam facere, ſed totum ſemet, quantus quantus erat, tradere, donare, in ſinum infundere: quæ demum iſthæc fuit, & quam infinita profuſio!

Quanti enim faciendum munus illud ſit, neque ii opinor eſtis, apud quos demonſtrari oporteat; & id ego ſi ſuſciperem apud alios, ſolo prolato nomine peroraſſem. Quidquid eſt infra Armandum Borbonium, illius munere minus eſt. Cedo quidquam hoc nomine præſtantius, huic accepti amplitudinem muneris academia noſtra ſummittet. Cedo rem ullam in Gallia nobiliorem Borbonio ſanguine: cedo ullam in orbe terrarum regiæ Galliarum ſtirpis principe clariorem. Hæc nimirum illa ſtirps eſt, quæ in omnes terrarum diffuſa partes, effloruit in coronas, pullulavit in ſceptra, ſurrexit in ſolia: cujus propagines ſunt, omnes principum regumque familiæ, & veluti ſurculi quidam hujus exuberantia prognati. Fons eſt regum hic ſanguis; redundavit in principum omnium venas, manavit in regna, tranſiit in imperia: difficile dictu eſt, an pluribus ſæculis fluxerit, an regnis pluribus imperarit. Hiſpania, unde tibi reges tui? Italia, Britannia, Cypræ, Hieroſolyma, unde prodierunt veſtri? ab hoc ſanguine, tanquam ab oceano rivuli exierunt. Luſitania, Hungaria, Bohemia, hanc ſtirpem noſtis? certe: ſi noſtis reges veſtros, quos tanquam enatos ex ea ramos accepiſtis. Polonia, ſceptrum tuum reſpice; ſolium tuum intuere, Sicilia: liliorum in iis impreſſa veſtigia etiamnum agnoſcetis. Enumera imperatores tuos Græcia: tuos Germania Cæſares percenſe. Principes appellabitis ex illo genere oriundos, qui orientis & occidentis imperia Gallico ſanguini ſubjunxerunt: quaſi aut dilutior eſſet omnis purpura, cujus ful-

goɪem non exaggeraret hic ſanguis ; aut infirmiora folia, niſi hac ſtirpe niterentur.

Quid igitur feciſti, Armande, cum te his ſcholis tradidiſti? Incluſiſti unum in locum, quod regendis fortunandiſque plurimis gentibus ſatis eſſet. Dediſti uni academiæ, quod ſi provinciis aliquibus dediſſes, repetiiſſent regna; ſi regnis conceſſiſſes, invidiſſent imperia; ſi imperiis omnibus partitus eſſes, orbis terrarum gaudio & gratulatione triumphaſſet. O te, in liberales doctrinas ſane liberalem! Prodigum prope dixi: & hanc certe notam videtur a te res una defendere, quod ſacrarum divinarumque rerum nulla ſit prodiga largitio. Nihil amittit princeps, qui ſe prodigit: non effluit cum jactura, ſed incrementis quibuſdam profluit: neque amplitudinem ſuam imminuit, ſed auget alienam. Non eſt fons ullus aquarum egentior, cum eas jugi quodam lapſu, & prodiga perennitate profundit; ſed nomine illuſtrior, cum uberius eædem, latiuſque permanant. Non eſt Sol diminutus ulla parte luminis, ex quo totus explicari mortalibus cœpit: perpetuis emiſſionibus non exhauriuntur radii, ſed propagantur: neque fit ex eo ſidus illud obſcurius, ſed omnes cœli, terrarumque plagæ clariores. Nihil deceſſit principi noſtro de ſua claritate, cum eam ſcholis noſtris impertiit: non demiſit ſeſe, ſed literas extulit; effecitque ſuo ſplendore illuſtres, affinitate nobiles, conjunctione regias; uſu, amore, neceſſitudine glorioſas.

Ubi nunc illi ſcurrarum palatinorum greges, qui Muſas omnes veluti ſordidulas quaſdam, & ruſticanas virgines cavillabantur? ubi illæ rudioris ſeculi reliquię, illi homines invito genio nati; qui eas a conſpectu regum, ab aditu principum, a nobilium conſuetudine arcebant? ubi illa tempora, quibus

doctrinæ omnes probro nobilitati vertebantur; quaſi eſſent illæ vulgi propriæ, & degeneraſſet a patria virtute, qui plus aliquid maternis literis didiciſſet? Vindicaſti, Princeps, eruditionem ab hac calumnia: eam tibi devinxiſti nexu amoris, atque ſocietatis arctiſſimo: ſimulque dignitatem, ſi ea carebat omnino, tribuiſti; ſi quam habebat, auxiſti: neque potuit deinde nobilitati non placere, quæ coli a principe potuiſſet.

Athenaïdem intueri mihi videor, eruditam illam virginem: quæ a juniore Theodoſio conjux adſcita, ab humili & jacente fortuna, ad ſummum imperii culmen evecta eſt. Latebat illa ſubobſcuriore tecto, nulla re niſi virtute felix, uno ingenio clara, ſolis doctrinis locuples; paternarum opum, quamvis illæ modicæ forent, teſtamento exhæres; ſpreta a ſuis, neglecta a civibus, alienis ignota. Venit in palatium deprecatura paterni teſtamenti injuriam. Hic contempta ſcilicet puella tenuis, & durius habita in limine, vix ut admittatur exorat; ſed admiſſa tandem, ſequeſtra pulchritudine, tum conciliatricibus gratiis, advocato pudore, patrona eloquentia peroravit. Placuit Imperatori, quæ lictores atque ſatellites flectere vix potuerat, & dimiſſa cum gratia, brevi ſumma cum gloria revocata eſt. Conjux eligitur, deſignatur Auguſta. Redit in aulam apparatu regio, ſolennique pompa: ingreditur maximis ordinum omnium gratulationibus: Imperatricem venerantur, qui modo ſordidatam & ſquallentem contempſerant: communicatur cum Athenaïde Theodoſii majeſtas: tantumque ſplendoris in obſcuram puellam ab auguſto matrimonio refuſum eſt, ut depoſito Athenaïdis nomine, gloriæ nomen ipſum ferre tum cœperit, & Eudoxia nuncupari.

Quod Theodoſio quondam Athenais, hoc tibi

deinceps doctrina debebit, ARMANDE. Extuliſti eam in ampliſſimam hujus regni lucem, cum tenebris damnata crederetur. Deduxiſti in palatium, ut ibi eo cultu exciperetur ab omnibus, quo quidquid tuum eſt proſequuntur. Triumphat in purpura, quæ in pulvere jacuerat: reginam omnes fatentur, quæ fuerit magiſtra principis; neque jam nllus eſt ex iſta gente troſſulorum, qui literas auſit vel calumniari impudentius, vel licentius ludificari, quas tuis conjunctas laudibus intelligat.

Eſt enim hic honos earum ſummus, quod laudes auxerint tuas, & aliquam tibi novæ claritatis acceſſionem adjecerint. Traxiſti a majoribus tuis nobilitatem generis, a literis ingenii nobilitatem accepiſti Nam cum ea ſit communis omnium & conteſtata notio, ut nobilitas ſplendor quidam dicatur eſſe, quo præditæ res eximie fulgeant: eritne qui nobile illud ingenium putet, quod non ſit inſigni aliqua luce cognitionis ornatum; numquam erigatur ad ſumma, ſed quibuſdam inſcitiæ tenebris preſſum ſepultumque jaceat? Una eſt, qua depelli hæ tenebræ poſſint, vera & certa lux, ſcientia: quæ tantum in animis lumen accendit, quanta in iis ipſa fuerit. Hæc mentium una claritas eſt; hac nobilitate ingenia glorientur. Quam decoris laudiſque partem cum ad cæteros Armandi Borbonii titulos adjunxerint literæ: non tam arbitrantur datum a ſe beneficium, quod opes omnes ſuas ejus in ſinum congeſſerint; quam acceptum profitentur, quod ipſe ingenium illud commodarit, in quo exornando, tanta ſua gloria verſarentur. Fuit iis ad commendationem atque gloriam majus, illuſtraſſe hujus principis ingenium; quam cæterorum hujus & ſuperioris ætatis principum beneficiis, & honoribus inclaruiſſe: ut cum majorem nemini lucem tri-

buerint, tum a nemine acceperint ampliorem.

Quem enim mihi dabitis qui melius ſit de iis meritus omni munerum largitione, quam Armandus hoc facto uno meritus eſt? Adducantur Auguſti; exiſtant Antonini; Conſtantini, Theodoſii, Juſtiniani proferantur. Illi donis ingentibus literatos homines proſecuti, quid amplius dederunt quam ſua? quanquam, quid dixi ſua? quid aliud eorum plerique, quam civium & provinciarum bona largiti ſunt; publicorumque furtorum liberales, integros & innocentes viros ſuis criminibus locupletarunt? Princeps noſter munificus erga eaſdem fuit: non alienorum, quæ non tractat; non ſuorum tantum, quæ parva duceret; ſed, quo nihil hic donare pretioſius, nihil optare majus illæ poterant, ſui ipſius.

Adeſte Caroli Magni, reviviſcite Franciſci, exiſtite glorioſi manes, quorum præconiis tam ſunt plenæ literæ, quam refertæ beneficiis: triumphate cum ſanguinem veſtrum nulla ex parte degenerem intuemini; ſed ita triumphate, ut concedatis adoleſcenti principi lauream illius erga literas beneficentiæ, quam tanto ſtudio, tam præclaris, tamque regiis operibus affectaſtis. Patroni fautoreſque literis præfuiſtis: iis ſe alumnum Armandus ſubmiſit. Protexiſtis eas auctoritate & poteſtate veſtra: hic ſuam iis ſubjecit. Clientes habuiſtis, quas moderatrices coluit: dignatæ ſunt aditu nonnumquam & congreſſione veſtra, quarum in ſinu domeſticus habitavit. Patuerunt iis veſtra palatia, in eorum penetralia evocatæ Muſæ omnes vobis aſſederunt. Sed quis veſtrum, quis regiorum principum ante hanc ætatem alius in earum ſedes ſe contulit, ipſarum aſſiduus convictor & contubernalis futurus? Reſervabatur in noſtra tempora decus hoc litera-

rum, ut Borbonio nomini deberetur.

Plenum Muſis, & perfectum honorem Armandus habuit; non excepit domi ſuæ,ut hoſpites; non inviſit identidem, ut amicas; ſed perpetuum ſeſe domeſticumque comitem iis, ut principibus quibuſdam ſuis tradidit. Iiſdem eas officiis coluit,quibus Martem ſereniſſimus frater Princeps Condæus proſecutus eſt. Ille,ut ad militiæ diſciplinam erudiretur, non fecit quod plerique aſſolent: qui bellum ediſcunt in otio; & caſtrenſes labores in aulicis deliciis,inſtituta duriſſima in ipſo voluptatis ſinu meditantur. Aſſuevit in caſtris, pernoctavit ſub pellibus, ubi erat facies belli ſævior, eo penetravit, ut armorum rudimenta inter arma ipſa poneret; neque dubitaret quiſquam, quin Marti ſe conſecraſſet & addixiſſet totum, apud quem alumnus habitaret.

O Martem Ludovici contubernio nobilem! o Muſas Armandi convictu gloriosas! o diem illum jucundum nobis, memorandum poſteris, omnibus prædicandum: quo primum die has in ædes Armandus Borbonius pedem poſuit! feliciſſimum diem, quo regium munus hæ ſcholæ acceperunt! clariſſimum, quo refulſerunt ejus purpura! ſereniſſimum, quo tantus princeps verſari in iis cœpit! Attulit dies ille unus huic academiæ, quod academiis omnibus omnia ſęcula non obtulerant: unus eam lætitię ſegetem profudit,cujus reliquias conſequentia deinde apud nos tempora ſuaviſſima recordatione colligent. Meminiſti, PRINCEPS, quanta illius diei fuerit hilaritas, quam ſincera omnium minimeque fucata gratulatio: cum hæc domus nunc ſileret obſtupefacta gaudio; nunc perſonaret ſubitis & ingenuis acclamationibus; tectaque ipſa, quaſi felicitatem perſentiſcerent ſuam, exilire lęti-

tia viderentur. Horum meminiſti: ſed quam benigno vultu ſimplices & plenas animi gratulationes exciperes; quam modeſto, laudes tuas audires, quæ illis plauſibus ſine arte miſcebantur; quam gravi & compoſito, geſtientis juventutis ardorem etiamtum puer temperares; non ita meminiſti fortaſſe; quia nullis urei ſoles, niſi virtutum tuarum oblivifci.

Solent principes non iidem ſemper eſſe, ſed gemino plerumque vultu: quorum alterum ad ſpeciem componit induſtria, alterum ad ingenium ſuum natura conformat: illum ſpectaculis atque pompæ, hunc quotidianæ vitæ adhibent: quidque in apparatu ſolenniore, dii quidam erant viſi, iidem modo naturæ ſuæ redditi, vix homines putantur. Princeps noſter, quos animos attulerat ad hujus ingreſſum academiæ, eoſdem in ejus ſinu ſervavit; neque alio vultu coluit Muſarum penetralia, quam quo earumdem limina ſalutaverat. Nihil de ipſius in eas ardore tempus remiſit; nihil de cultu familiaritas; nihil labor de aſſiduitate; nihil judicium in puero maturum, ſuæque adeo jam conſcium dignitatis, de officiis omnibus, quæ literis purpuratus tyro perſolvebat. Neque vero ſua illa ſtudia diſſimulavit unquam; aut erubuit earum cultor videri, qui patronus eſſe poterat. Pal. m ante oculos omnium, publicas ſcholas frequentavit quotidianus auditor: neque illarum, aut anguſtias refugit, qui amplitudinem ſuam ubique circumfert; aut lucem veritus eſt, qui majorem in eas eſſet illaturus. Privatis alii præceptionibus erudiantur, longeque a conventu & frequentia, dictata capeſſant tenebricoſæ diſciplinæ: ament receſſus atque latebras, qui lucem neque facere, neque pati poſſunt. Armandus doctrinam hauſit publicis e fontibus, quibus ſalubriores nulli ſunt: didicit in communi

loco, cujus inſtitutio commune bonum erat: lucem amavit, qui nihil habebat, quod tenebris occultaret.

Quanquam frustra latebras quæſiiſſet. Eſt enim annexum hoc conditioni principum, ut tegere ſe non poſſint, neque publicum fugere: quia quemcumque inſederint locum, publicum faciunt. Patent omnium oculis receſſus intimi palatiorum; publicique juris eorum actiones ſunt, quorum privata eſſe perſona non poteſt. Quam eſt hoc importunum plurimis, tam gratum idem atque commodum accidit Armando Borbonio: cui glorioſius nihil poterat apud nos eſſe, quam ſi qualis erat, talis omnium oculis penitus appareret. Quamobrem adeo non tulit moleſte illam famæ licentiam, quæ res principum omnes, quamvis domeſticas, efferre in apertum ſolet; ut publicum etiam ſcholarum in conſpectum ultro ſe dederit; certus tot ſibi laudum præcones adfuturos, quot rerum ſuarum teſtes & arbitros adhiberet. Quæſivit ſtudiorum ſocios, ut eſſent quibus anteſtaret: magnitudinis ſuæ putavit eſſe, ubique videri principem, ubique illuſtrem; & percurrendis ſcholis omnibus, Solis curriculum imitari, qui domos ſuas ſic obit & peragrat ſingulas, ut easdem illuſtret.

Hic enimvero, quæ miracula explicuerit cœleſtis ingenii; felices, qui quotidiani ſpectatores fuiſtis, eodem incluſi ſtadio, iiſdem uſi legibus! ubi cum prodigia veſtros animos infinita percellerent, unum inter cætera maximum elucebat; Armandus Borbonius, veluti omnium unus, & acceptum a natura principatum quodammodo diſſimulans, ut alterum ingenio quæreret. Videbat fortunata juventus; quodque invidiſſet alteri, hoc principi ſuo gratulabatur: videbat ingeniorum omnium lucem obſcu-

demum illas hoc ſæculo, bellis invitis ; neque floruiſſe unquam illuſtriore otio ; quam quo, inter armorum tumultus ſæviſſimos, fruebantur. Accedebat ad eoſdem ſenſus moroſior ipſa ætas, & admirationum parcior : perpetui illi laudatores ſuperiorum temporum, præſentium contemptores : agnoſcebant tandem fatebanturque oblatum nepotibus ſuis ; quod ſuę patrumque memoriæ negatum fuerat ; fruique literas præſenti bono, quod ne optando quidem fuiſſet olim a ſuis æqualibus cogitatum. Vota faciebant iidem, ut per quem fierent immortaliter glorioſæ, hujus nomen æternis honoribus conſecrarent. Nemo erat literarum ſincere amans, qui non eadem aut optaret, aut promitteret : nemo poſthac eas colet, qui non eodem ſit animo futurus, ARMANDE ; & perinde ut ſtudioſus illarum erit, ita decus in eas a te collatum interpretibus iiſdem celebraturus. Dum illæ ſupererunt, vigebit recens florebitque beneficii tui memoria : prima literarum laus erit, decoratas a te fuiſſe tantis honoribus : gloriæ tuæ pars non ſpernenda, literas tam inſigniter honeſtaſſe.

Atque hoc tibi præcipuum, & ſingulare debent : quod ad ipſas non tam deſcenderes, ut alii, accepturus beneficium, quam conceſſurus. Quid enim exſpectares præſentis gratiæ, præmiorumque omnium, quibus donari ab iis ſui clientes ſolent ? Quærunt apud eas nonnulli fortunarum acceſſionem, tu & aliorum fortunam fabricaris, & tuam naſcens tecum attuliſti. Alii captant illarum otium, ut durius quoddam vitæ genus devitent ; tu ut earum labores amplectereris, plena voluptatis & deliciarum otia fugiſti. Sunt qui gloriolam per eas aliquam affectent ; tibi innata corona eſt, neque incubuiſſe noſtras in diſciplinas videris, niſi ut

eas tuo diademate coronares. Tuliſti quidem ab iis laureas in omni genere longe plurimas; ſed quæ plus a te decoris acciperent quam conferrent: & quamlibet dederint multas; debent tamen haud paulo plures, ſemperque debebunt. Suas dignitati, ſuas ingenio, univerſas Armando Borbonio debent.

Dubitant vero, neque ab re profecto dubitant: pluresne Borbonio debeant, an Armando: id eſt, an dignitatis ſplendore, qui tibi eſt cum regia tua gente communis; an ingenii luce, quæ proprie tua eſt, amplius illuſtratæ per te fuerint.

Hoc enim dicam citra periculum aſſentationis, quæ non poteſt ad res tam publicas & pervagatas adhæreſcere; tractatas hic eſſe a nemine literas, cui non præſtares ingenio tantum, quantum claritate generis anteibas. Atque ut intelligatis, Auditores; quam nihil aut noſtris artibus, aut ſolertiæ principis, ementitæ laudis aſpergam: revocate in memoriam ea, quorum ipſi teſtes nobiſcum fuiſtis; conferte omnium ingenia, qui ſunt in hoc doctrinarum curriculo verſati: cum uno Armandi ingenio; ſimul quantum uni omnia conceſſerint, recordamini. Acutos alios ad excogitandum vidimus, ſed minus acres ad judicandum: alios æſtimandi prudentia, non itidem acumine induſtriaque præſtantes. Ille ad graviores artes ingenii vim atque robur attulit: hic elegantiam ad amœniores. Ille in diſſerendo ſubtilior, ſed parum in exornando copioſus; hic in eloquendo uberior, quam in diſputando preſſior viſus eſt. Neminem novimus ita laude ulla præſtantem, nihil ut ei de confini vitio, tanquam illitum adhæſerit: neminem, niſi Armandum Borbonium, in quem ingenii laudes omnes novo fœdere, & conſpiratione facta, confluxerint:

xerint: qui tam eſſet ad judicandum gravis, quam celer ad intelligendum; tam feſtivus inter floſculos elegantiorum artium, quam firmus inter triſtiorum ſalebras; tam velox in comprehendendo, quam in retinendo diuturnus: in quo lepos cum ſoliditate, majeſtas cum facetiis, ubertas cum moderatione, ſuavitas cum vehementia, perſpicuitas cum abſtruſione intelligentia, pugnarent nihil; ſed pene conflatæ coaleſcerent, & ſumma conſenſione jungerentur. Qui hujus maturitatem ingenii videbant, tardiorem crediſſent hominis adoleſcentis indolem, niſi continuo motibus celerrimis emicantem aſpexiſſent: viciſſimque cum acres illius mentis impetus intuerentur, immoderatiorem eſſent ſuſpicati, niſi tum quoque ſtatum præſentis animi compoſitiſſimum obſervaſſent, æſtus illos ardoreſque temperantem. Colluſtrabat obſcura quæque, attollebat tenuia, prætervolabat excelſa: luctabantur alii deſudabantque operoſius in iis artium difficultatibus ſuperandis, quas ille uno mentis intuitu profligabat: uti nocturnæ tenebræ, quibus diſcutiedis omnibus totoque cœlo pellendis, par nulla ſit facum tædarumque copia, unius exortu ſideris repente vaneſcunt. Vix aperta difficilium perplexarumque rerum facies, & oblata quaſi reducto velo fuerat; cum ſubibat illarum ſinus omnes: vix prolata nomina; cum notiones naturarum intimas pervadebat. Quis eum unquam vidit aut caligantem in obſcuris, aut hærentem in ambagibus, aut ſubterfugientem ardua, aut ſumma deſperantem? Nodum objiciebas? acuebas ſolertiam. Opponebas recondita quædam? emicabat perſpicacia. Proferebas acuta? triumphabat ſubtilitas. Oſtendebas ſublimia, & immenſa? celeritas aſſequebatur, amplitudo capiebat.

Quod ſi detur hic Platonis ſententiæ locus, qui nobiliores animas aiebat alis quibuſdam inſtructas eſſe; quibus attollerent ſe humo, & in ſublime ferrentur: quibus tandem alis, & quam valentibus vegetiſque nixam putabimus principis hujus mentem; quam jacentem nemo viderit unquam, aut humilia conſectantem: ſed illo tempore ætatis, quo vix obvia quæque ac quotidiana cæteri norunt, percurrentem res altiſſimas, longeque ſupra communes virorum niſus evolantem? His ſublatus alis, ſive per ſuaviorum Muſarum ſpatia, quaſi ludendo volitaret; ſive naturam obiret omnem, philoſophiamque ipſam in receſſus rerum altiſſimarum ſubveheret; ſive in Dei ſinum recta ferretur, theologiamque trans aſpectabiles rerum omnium formas elatam inter puriſſimos ſpiritus, & in ipſa divinitatis adyta inferret: vias inibat ut tritas ante nemini; ita nullius deinde veſtigio ingreſſuque tentandas. Quid vero, cum res ipſas humiles eadem ingenii ſublimitate tractaret? ut nihil eſſet tam depreſſum abjectumque, quod non excitaretur veluti ab humo & pulvere; nihil tam commune & ante pedes poſitum, quod in ore Principis inuſitatum, & admirabile non appareret: quemadmodum ſummo monti inſidentes arbuſculæ, quamvis humiles illæ per ſeſe, eminent tamen, non ſua ſed montis altitudine ſublimes. Quæ cum Armandus faceret, cum itinera ſibi nova panderet & prius inacceſſa; fugiebat videlicet aciem ingeniorum omnium, neque ullus erat qui non perinde & illius curſum miraretur, & ſequi ſe poſſe deſperaret. Navim aliquam intueri te diceres, quæ alto & invio mari ſuas ſibi ſemitas aperiens ipſa, procul evolat nulla impreſſa nota, nullo relicto tramite atque ſulco, cui inſiſtentes cæteræ prævium aſſequantur.

Aquilam ego videre mihi videbar, quę cum inſert ſeſe in tractus nubium altiſſimos, eoſque volatu arduo ſuperat, veſtigium nec invenit, nec relinquit ullum.

Quæ ſi omnia tacerem, Auditores, hi pro me parietes, hæc ſaxa, hæc Ahtenæi ſpatia loquerentur. Reſponſarent ſcholæ omnes ejus plenæ ac refertæ miraculis; emitterent non ſuas, ſed Principis ipſius voces, quas ad æternitatem tuentur; fieret iis ex vocibus concentus laudum admirabilis; reſonaret conflatum ex omnibus præſtantis ingenii præconium; exiſteret vocalis quædam imago mentis excellentiſſimæ, ea re minus ſuſpecta fuci, quod artis ingenio perfecta non eſſet. Præiret autem, & chorum omnem quodammodo duceret hic locus, aut tacerent certe loca cætera, ut hic unus audiretur: hæc, inquam, aula, in qua ſolenni ritu, conventu principum & optimatum maximo, frequentia cæterorum ordinum tanta, quantam capere hi parietes poſſent, velut indicta ſapientiæ panegyri, conſedit, reſponſa cuivis edens de omni philoſophia, illiuſque arcana ſcrutans & evoluens ea facilitate, ut intelligerent imperiti; ea ſubtilitate, ut peritiſſimi quique obſtupeſcerent.

Silete tamen, ſilete hoc loco ædes noſtræ; exedræ, theatra, ſcholæ Claromontanæ ſilete in Armandi cauſa: ne cui veſtra ſit forte ſuſpecta prędicatio, quod domeſticæ ſitis. Sorbona! teſtimonium hic tuum depoſco. Meminiſti illius diei, quo nullus tibi ex omni memoria clarior illuxerat, cum Armandus Borbonius ſuggeſtum tuum conſcendit, ut haberet ampliora quam apud nos ſpatia, quibus conceptam hic collectamque lucem explicaret. Illic ſedebat princeps adoleſcens, eorum arbiter myſteriorum, quæ canos patres in illo theologiæ domi-

cilio tot jam annis exercebant. Confluxerat ad hoc ſpectaculum omnis Lutetia, id eſt, omnis ferme Gallia, velut Roma quondam ſæculares ad ludos, quos nemo vidiſſet ante, nemo poſtea viſurus eſſet. Aderat comitatus omni flore nobilitatis ſereniſſimus Armandi parens Henricus, ſidus illud inique deinde Galliæ fato, noſtroque maximo luctu præreptum; aderat autem eo animo, quo triumphantes quondam liberos parentes fortunati ſpectabant. Coronabat diſputantis pulpitum antiſtitum cœtus ingens, quos cum unius ex ore pendentes omnes intueremur; quis tum erat noſtrum, cui non jam videretur Princeps Borbonius pontificiis quibuſdam comitiis præeſſe; reſpondere de ſacris, pronuntiare de religionibus, & fundendis inter eccleſiæ principes oraculis aſſueſcere?

Si cui dubia fuiſſent, quæ de illius ingenii præſtantia in vulgus a nobis emanaverant: is cum explicatas in illius theatri celebritate atque amplitudine tot ingenii doctrinæque opes vidiſſet, non jam deſideraſſet noſtram in laudando fidem, ſed parſimoniam incuſaſſet. Si quis ignorat etiamnum, quam enucleate, ſpiſſa, quam ſubtiliter implicata, quam plane ardua, elate ſublimia, admirabiliter univerſa diſputet; adeat gloriæ faſtos, & illius diei memoriam ex iis repetat. Quæris quam acute reconditiora penetret? ex academicis percontare: quam eleganter eadem & polite tractet? nobilitatem interroga: quam accurate, quam eximie divinis in rebus, myſteriiſque altiſſimis verſetur? exquire antiſtitum judicia: quam in omnibus excellat? ex antiſtitum, ex nobilitatis, ex academicorum non judiciis, ſed admirationibus intellige. Graviores hi teſtes ſunt, quam ut mendacis cujuſpiam aſſentatiunculæ ſuſpicionem vereri quo-

quo modo poſſim. Qui cum Armandum intuerentur illo die in obſcuris emicantem, ludentem in arduis, ubique triumphantem; cum eum aſpicerent modo res abditas evoluentem majeſtate quadam profluentiſſimæ orationis, more fluminum, quæ aquas ſuis in fontibus quodammodo arctatas in planitiem effundunt; modo contrahentem verbi compendio diſputationes ampliſſimas, ſpeculorum in modum, quæ Solis radios omnes longe lateque diſperſos in orbis ſui punctum pertenue, velut in lucis gremium colligunt: cum hærerent attoniti omnes, quod tam ſalebroſo in curſu nuſquam hæreret; ſed oppoſitis difficultatum veluti nubibus denſiſſimis, nunc coruſcaret inſtar fulguris; nunc fulminis ritu omnia perrumperet, ibique luceret purius, ubi major offuſa caligo fuerat; cum illius memoriæ amplas opes, ſermonis delicias, ſententiarum pondera, reſponſionum acumina, doctrinæ miracula ſuſpicerent: cum admirarentur pontifices, quantum eccleſię columen ſurgeret; proceres, quantum aulæ decus adeſſet; eruditi, quantum litteris ſidus affulgeret; omnes quantum huic imperio ſubſidium ornamentumque pararetur: quæ tua mens interim erat? Henrice. Continebas tu quidem intus geſtientis animi lætitiam; ſed ita premere ſenſus tuos non poteras, quin exundarent identidem, & in vultum erumperent: cumque cæterorum vocibus, etiam invitus, geſtu nutibuſque concineres. Erant omnium aures in Armandi voces intentæ; oculi, partim in ejuſdem os, cujus contemplandi dignitate expleri non poterant; partim in te conjecti, ut prolixiorem gratulationem quam maturi, tam ſinceri gratulatores anteverterent. Tu neminis in vultum intuebaris, uti fere mos eorum eſt, qui vel blanditias aliquas ve-

nantur oculis, vel explorant aliorum nutus, e quibus judicia ſua ſuſpenſa ſunt. Noras ut acerrimus ingenio princeps, ita omni doctrina cultiſſimus, momentis omnia ſuis pendere; neque res ullas aliorum ſenſibus, ſed tuis arbitriis æſtimabas. Hærebas oculis in Armando tuo defixis; niſi quod eos dejiciebas nonnunquam, ne major eſſet, redundaretque tandem lætitia, quæ oculis ſimul auribuſque caperetur.

Gratulabaris interea tibi, filium incomparabilem, filio, adoleſcentiam eruditam; eruditioni, patronum regium; regno, principem religioſum; religioni, regium, eruditum, incomparabilem defenſorem. Videbas eum, id ætatis, profeſſum vindicem ſincerioris doctrinæ, quam fovebas; efferentem in conſpectum orbis terrarum paginam unam, quæ foret veluti theologiæ ſymbolum, monumentum fidei Borboniæ, ſpecimen Romanæ, compendium Catholicæ, documentumque conſequentibus ſæculis, quid ſanguis Chriſtianiſſimus de religione ſentiret: hærebaſque incertus, utri gratulari deberes magis, tibi ne qui hunc religioni propugnatorem dediſſes, an religioni, quæ tantum a te præſidium accepiſſet.

Gratulabaris etiam. Obſtat hic dicenti mihi pudor aliquis noſter, Auditores: atque id prohibet in oratione mea ponere; quod nobis, ſi apud malevolos aliquos invidioſum, certe apud omnes perhonorificum foret. Dicam tamen, quod frequentia majore, cum nobis, tum aliis audientibus profeſſus eſt Henricus; quam ut premi ſilentio vellet. Dicam, quod eſt ad commendandam ipſius bonitatem, quam ad laudem noſtram celebrandam illuſtrius: neque committam, ut magis verecundiæ noſtræ videar, quam ejus gloriæ ſerviiſſe; & dum

modeſti volumus eſſe, ingratiquoque ſimus. Gratulabatur quoque nobis princeps; optimus; ſcholiſque noſtris fructum aliquem laudis hujus impertiebat: tribuebat Claromontanę inſtitutioni, quod indolis Borboniæ proprium erat: quodque effloruerat ex Armandi ſolertia & ingenio, noſtris eductum curis, & excultum artibus prædicabat. Cui tam illuſtri de nobis intelligentiſſimi principis judicio, neque ſubſcribere poſſumus præ modeſtia, neque præ reverentia omnino repugnare auſimus.

Quamobrem, ſive ab hujus diſciplina gymnaſii retuliſti aliquid, A r m a n d e, quod videri vis; ſive attuliſti potius ipſe hoc quodcumque ſcholis noſtris decus & ornamentum ineſt, quod ubique profitemur: utrinque tibi plurimum illæ debent, vel quod idoneas duxeris, a quibus aliquid acciperes; vel quod minime indignas putaris, quibus tantum donares. Superbire poſſent his honoribus, niſi a te modeſtiam didiciſſent. Felices, fortunatæque ſcholæ, te patrono, te hoſpite, te alumno! Glorioſas dixiſſem, niſi noſtræ eſſent. Quanquam! glorioſiſſimæ ſane dicantur, quia ſunt Borboniæ: neque ita diſſimulemus honorem noſtrum, ut aliquid etiam de tuo derogemus. Sint humiles, obſcuræque per ſeſe; erunt tamen Armandi nomine uno amplæ & illuſtres: neque ulla malevolentiæ, temporumve iniquitate, aut imminuetur hæc amplitudo, aut hic ſplendor obſoleſcet; niſi cum Borbonium nomen vel arrodere malignitas, vel livor obſcurare potuerit. Recognoſcet hic poſteritas veſtigia tua, ex iiſque non tuam magnitudinem, quę nullis ignota ſæculis erit, ſed noſtram felicitatem metietur. Gratulabitur his anguſtiis, quæ te capere potuerint: gratulabitur magnitudini tuæ, quæ cum

eſſet tanta, cum aulam admiratione, ſpe Galliam, fama Europam impleret, tam exiguo ſe ſpatio collegerit; & divino quodam jure, cum ubique tota eſſet, hic tamen potuerit tota contineri. Viſetur hic locus eodem animo, quo ſolent a nobis admirabilium rerum monumenta luſtrari. Affluent homines honeſte curioſi; monſtrabitur iis, quæ te pars ædium hoſpitem acceperit: quod tibi ad privatas commentationes ſecretius conclave fuerit: quas ſcholas publicus auditor adieris. Hic humanioribus literis, hic divinis operam dabat: hunc inſidebat ſcholæ locum: hoc hortulo innocentes illius deliciæ continebantur: his receſſibus tegebat pietatem ſuam: hac aula eruditionem explicabat. Quæ cum inter hujus urbis miracula exteris oſtendentur: cum ſæpius cives ipſi viſendi cauſa redibunt: cum eos per loca ſingula ducemus, omnium indices atque interpretes: pars erit hæc quoque noſtræ felicitatis, quod iis non poterimus tot beneficiorum immemores videri, quorum memoriam ſuppeditabimus ipſi, & quotidiana prope narratione renovabimus. Ita, nemo has ædes incolet, qui habitare ſe inter beneficia tua non intelligat. Succedent, ut ſperamus, aliis alii, in quos propagetur hic ſenſus, & veluti quædam hereditas ad conſequentia ſæcula tranſmittatur. Antiquus hic erit honos tuus, neque ſeneſcet tamen; ſed, vel impreſſis a te laudum veſtigiis, vel noſtra prædicatione, ſemper recens integerque ſervabitur. Nominis tui memoriam ſi nullæ apud nos tuerentur literæ, tecta ipſa tacito præconio celebrarent: ſi everterentur tecta, in ruinis poſteri veſtigiorum tuorum reliquias vererentur. Sed neque ruinam timent gloriæ tuæ monumenta: neque de te conticeſcent unquam literæ noſtræ;

noſtræ, quæ cum honores a te immortales acceperint, te beneficiaque tua æternis honoribus proſequentur.

ADVERSUS NOVITATEM
DOCTRINÆ,
ORATIO.

PARISIIS VI. NON. OCTOB. CIↃ. IↃC. L.

VETUS eſt illa, & a magiſtris politicæ doctrinæ ſummo conſenſu poſita lex, Viri Illuſtriſſimi; ut quidquid eſt affine novitati, ſummoveatur civitatis aditu, longeque a populi moribus & ſtudiis arceatur. Sic enim ſibi perſuadent homines ſapientiſſimi: cum imperium omne vetuſtate, tanquam altis radicibus, nixum fundatumque ſit; vetuſtate, tanquam plena jam & adulta luce, ſplendeſcat: nihil eſſe, quo certius vel decus extingui reipublicæ, vel firmamenta convelli, quam novitate poſſint. Quamobrem pellendam eſſe republica pronunciant velut hoſtem; neque tantum cum inſurgit, & minatur palam, ſummamque rerum aggreditur; ſed etiam cum ludos exiguis in rebus innoxios ludit, cum blanditur, cum favet, exitioſam habendam eſſe, & ex toto fugiendam: ut peſtilentiæ non tantum graviores auras, plenioreſque afflatus, ſed etiam anhelitus leviſſimos, ſuſpicionemque ipſam periculi declinamus. Omnino id ſunt in rep. novitates, quod in oceano venti, qui cum aſpirent blandius primum, fluctuſque mulceant prope ad delicias, mox in tempeſtates & naufragia deſinunt; aut ſi minus

atrocitatis habent, inanitatis certe habent plurimum, & qui mare commoverunt cum periculo, iidem ſæpe ſine cujuſquam commodo evaneſcunt. Utinam autem, ut plerumque venti, ita novitas ſemper omnis ſine procellis & ruinis evaneſceret! utinam non aſſueſaceret civium animos antiquitatem faſtidire, cujus tantam in vulgus reverentiam vult eſſe magnus regendæ reipublicæ auctor Ariſtoteles, *a* ut inſtituta veterum etiam minus idonea tolerari malit interdum, quam ſuſpicionem præberi populo, poſſe aliquid reſcindi, quod ſit a majoribus conſtitutum. Fluctuaret enim ſemper reſpub. neque poſſet unquam firmo in ſtatu conſiſtere, ſi pro cujuſque libidine aliud ex alio commutare fas eſſet. Blanditur novitas quidem, ſed inſidioſis illecebris, quæ populum ſic adjungunt ſibi, ut a repub. divellant; ſic admirationem excitant ſui, ut contemptionem pariant vetuſtatis: rapit omnium mentes, ſed eo plerumque impetu, qui remp. concutiat: inflammat animos, ſed iis facibus, quæ ad regnorum incendia exardeſcant. Quæ res tam perſuaſa Romanis fuit, ut labem in ipſo vocabulo novitatis hærere voluerint, & turbulentos cives, hoſteſque patriæ, ſatis a ſe notatos duxerint, ſi rerum novarum cupidos appellarent. Quod ſi tam præceps & lubrica novitas eſt, tantumque habet ad nocendum univerſa periculi: multo eſt tamen illa doctrinæ, quam rerum cæterarum, ad labefactandam remp. ſapientibus viſa proclivior.

Quamobrem cum nos præcipue pars illa ſpectet, munuſque docendi noſtrum, cujus intermiſſam de more profeſſionem inſtaurare hodie dicendo ſum juſſus: jam inde ab hoc aditu, id omnium nomine

a L. 2. Politic. c. 6.

profiteor unus, novitatem non ſegniori quam ante cura prohibendam ab his ſcholis eſſe, quæ nunquam niſi ad reipub. civiumque commoda, patuerunt. Quæ diſciplinæ ratio ut intelligatis, Auditores, quam juſta ſit, quamque merito noſtra: hoc aio: ut illa ſervetur, omnium intereſſe, patriæque communis; & effecturum me hac oratione confido, doctrinæ novitatem reip. periculoſam eſſe. Et quoniam non privatam hic perſonam ſuſtineo, ſed communi fungor munere, omnium, quas ſcholæ noſtræ profitentur, artium aperiendi curriculi: non hærebo in uno quodam genere diſciplinæ, ſed palam in univerſis faciam, quam tutas, ſi ſalvam rempub. volumus, a novatorum injuriis eſſe oporteat: ſimul id perficiam, ut me nemo putet uni cuipiam recenti doctrinæ infenſum ad dicendum veniſſe, cujus ſermo ad omnes æque pertinebit.

Atque hoc primum affirmanti mihi quis non aſſentiatur, quæ res timeri publicis rebus a novitate ſolent, eas novorum dogmatum maxime proprias eſſe, turbas, diſſidia, factiones? Fovent ſcilicet ingenia fœtus ſuos, amantque perdite, & novitia inventa, ut puſiones ſuos nutriculæ ſolent, ſuaviùs deoſculantur, pugnaciuſque defendunt. Non deſunt qui recentem partum ſuſcipiant, ut proprium, & ſuum: tot parentes hábet, quot amatores nanciſcitur: atque ut quiſque vetuſtiore doctrina minime inſtructus, & ea quaſi orbatus eſt; ita novellam hanc cupidiſſime adoptat. Vix nata eſt, cum factionis eſt mater: huic efferendæ patroni ſui ſtudent impenſius, hanc ambitioſius prædicant; ſive homines arrogantiſſimi hanc unam plurimi faciunt faſtidio cæterarum; ſive cum illius inf.rmitatis ſint inanitatiſque conſcii, vim illi atque robur

a ſectæ conſpiratione quærunt; ſeu demum, cum non temere ſoleant auræ illæ novitatum, niſi a turbulentis ingeniis excipi, obſequuntur hi parentque indoli ſuæ, & turbas, ubi nactos ſe occaſionem putant, moliuntur. Hinc jam quaſi diſceſſione facta, fervere incipiunt contentiones partium, pugnatur magnis animorum ardoribus, atque hoc pertinacius pugnatur, quod ingeniorum certamen eſt: quorum cum ignea & cæleſtis natura ſit, quis miretur ex eorum conflictu exprimi fulgura quædam & tonitrua, quibus omnia perturbentur? Quis non intelligat quam facile pariant diſcrepantes ſententiæ ſtudiorum diſſimilitudinem & voluntatum, disjungantque concordiam illam civium, qua una maxime reipub. quies & tranquillitas continetur?

Familiam ducis emerſæ nuper philoſophiæ: prçclare, niſi recens omnis ſecta, ſeu contumacia fautorum, ſeu fato alio quodam, obnoxia turbis eſſet. Novum doctrinæ figmentum architectatus es: belle, niſi vetuſtam alteram & ſua canitie venerabilem, exemplo peſſimo, arrogantius ſuſtuliſſes. Innoxium eſt tuum illud ſcientiæ genus, neque ad remp. attinet: commode (dandum enim eſt aliquid tibi) commode inquam, ſi ſtare hic novandi libido poſſet. ſed quis hoc non videat, illam modica in re audendi impunitatem, gradum eſſe ad majora deinceps tentanda jactum; illoſque ipſos, qui novis aliquando rebus inductis rempub. impulerunt in præceps, proluſiſſe minimis initiis ad decretoria facinora, & exiguis in rebus audaciæ tyrocinium poſuiſſe?

Quid eſt quod videri levius in republ. poſſit, quam joci, *b* luſuſque pueriles? horum novitate,

b *L.* 7. *de leg.*

tanquam ad perniciem exitiumque propenſa, bene temperatis civitatibus ſummus reipubl. artifex Plato interdicit;obſervari jubet, quibus ſe pueri ludis oblectent; vetat ne quos uſurpare ſignantur, niſi conſuetudine receptos; ſi ſecus faxint, ſi quod inter eos vigere luſionis genus cœperit prǫter morem patriæ, modumque communem: tum verò, quantulum id cunque judicetur ex ſeſe, id tamen tantæ vir gravitatis & judicii, affirmare totidem verbis non veretur; non eſſe peſtem ullam reipub. hac ludorum a pueris adhibita novitate majorem. At quid admodum civitatis intereſt, an equitent in arundine pueri, an in corbe navigent? quid aliud diceret, ſi bello duces, non pueri ludo certarent? aut quæ poſſet ab eo major adhiberi cautio, ſi de reipub. non de pilæ conſervandis legibus præciperet? perinde quaſi cum pila & trocho, fortunæ orbis, & Græciæ fata verterentur. Profitetur nimirum, non tam a ſe quid pueri moliantur in præſens, quam quid grandiores iidem auſuri ſint, timeri; corrumpi teneram indolem, animoſque perverti illa morum inconſtantia, & deſultoriis cupiditatibus; neque cives olim in repub. quietos fore, qui ſemper faſtidio præſentium aſſueverint. Quapropter eadem interdictum lege, ac prope religione vult, ne vel carmina modulentur, niſi uſitata; vel ad numeros ſaltent, niſi patrios; vel formam adſciſcant veſtium, niſi popularem: in his, omnique vita communi, novi quidpiam comminiſci, nefas eſſe.

Et erit, Auditores, erit ut minus in ingenuis artibus videatur ad rempubl. momenti, quam in nugis pueritiæ conſtitutum? intereſt reip. quibus pueri ludis indulgeant, non intererit, quam juventus diſciplinam accipiat? e re communi eſt

quid ſaltent, non erit quid literarum addiſcant? refert patriæ quibus induantur veſtibus, non quibus artibus imbuantur? periculum eſt, ſi frivolis etiam, &c. ludicris in rebus deflectatur a patria conſuetudine; in doctrinis unis, erunt artes quędam alieniores, quam ut ad rempubl. pertineant? novari, antiquari, permiſceri omnes impune poterunt.

Propulſanda eſt certe novandi libertas a diſciplinis omnibus, ne tandem in aliqua una noceat. Cum enim illæ non tantum ſubtiliter diſſerendi leges & acute intelligendi contineant, ſed etiam bene honeſteque vivendi; neque viros ſolum eruditos, ſed etiam bonos cives inſtituant; cum omnia privatæ, civiliſque vitæ officia temperent, omnia ſacrorum jura deſcribant: hoc diligentius eſt licentia omnis a toto illarum corpore cohibenda: arcenda eſt novitas ab ipſarum limine, ne interiorem in ſedem graſſari pergat: prohibenda ejus in dialecticam incurſio, ne hinc in mores hominum, in deſcriptionem reipublicæ, in legum ſanctitatem, & religionum irrumpat: ne in res maximas recepta, tempeſtates faciat, quæ turbas aliquando in minimis excitavit.

Nam ubi ſemel erupit hæc veſania, quem audendi ſibi modum facit? Raro acquievit in majorum ſententiis, cui novam aliquam fabricari, & promere de ſuo impune licuit: at ſive delinitus prioris inventi laude, ſive hoc hominis ingenium eſt; ubique parturit, ubique ſuus eſſe vult: nihil in mora eſt antiquitatis autoritas, ex quo neglecta ſemel, & inverecunde deſpecta eſt: diſplicent militares viæ, quia tritæ vulgareſque ſunt: quærendi novi quidam in omni ſcientia calles, nullius adhuc tentati veſtigiis, nullius ſuſpicione &c.

conjectura indicati. Et vero cum ad doctrinas omnes idem afferatur ingenium: quid exſpectandum eſt ab eo, cujus temeritas periculum in arte una fecit, niſi ut peræque tractentur ab eodem omnes; neque politicæ diſciplinæ parcat, qui temere in reliquas & petulanter incurrit. Quanto eſt igitur conſultius, peſtem illam, in re tenui, in eruditionis parte maxime otioſa, minimeque per ſe ſuſpecta blandientem elidere!

Neque id vero commentitiæ cujuſdam eſt reip. proprium, cujus conceptam animo formam ſic expreſſiſſe Plato dicitur ad ſpecimen optime conſtitutæ civitatis, ut non deſcripſiſſe remp. ſed optaſſe ſit viſus. Nihil profero, quod ſæpius non ſit ad hujus regni ſalutem & incolumitatem, regum noſtrorum edictis, & ſenatus auctoritate proviſum. Turbabat Petrus Ramus in Pariſienſi academia (quæ tota repugnabat) & rejecto peripatetico diſſerendi genere, novum quoddam dialecticæ ſimulacrum excitaverat: hujus doctrinam Franciſcus primus publicis literis damnatam compeſcuit: ipſi ſcholis in poſterum omnibus, omnique docendi munere interdixit. Irrepſerat in eandem academiam hæc, quæ Nominalium appellata eſt philoſophia: eam Ludovicus XI. regum noſtrorum, ex omni memoria, reip. regendæ prudentiſſimus, exterminari ſcholis Pariſienſibus omnique regno juſſit, premi auctorum libros, contumaces exilia multari. Et Ludovicus quidem, præter univerſum odium novitatis, hoc etiam promptiore animo ſectam illam in rerum nominibus illudentem oppreſſit; quod intelligeret, quantas excitaſſet ubique turbas illius princeps Ochamus: qui a novandæ doctrinæ confidentia, ad novarum in repub. rerum molitionem proſi-

liens, adverſus Pontificem Maximum cum Ludovico Bavaro Cæſare conſpiraverat, eumque ſolebat hortari, ut fortiter ferro faceret, ſe interim ſtylo acriter pugnaturum. Franciſcus vero præſagire jam inde videbatur quonam eſſet illa Rami evaſura temeritas, hominis quo inſignius exemplum poſteritati nemo dedit, quam fœde illa novitatis intemperantia a minimis initiis ad ipſius reipubl. labem & exitium gliſcat: qui cum novam grammaticam, nova docendi via, noviſque præceptionibus edidiſſet; cum in rhetoricæ principes, lingua ſtyloque invectus, ſpreviſſet Ariſtotelem, riſiſſet Tullium, Quintilianum exploſiſſet, novamque eſſet ipſe dicendi artem fabricans; cum in philoſophia tragœdias, adverſus philoſophiæ parentem, excitaſſet: ad extremum idem homo in theologia fuit, libroſque ſcripſit de Chriſtiana religione quatuor, flagitioſa novitate infames: hinc res novas cum Calvini grege molitus, & in magna illa perduellium internecione, Lutetiæ peracta, inter hoſtes patriæ obtruncatus eſt.

Non deſideravit reſpub. eandem, in reprimenda ingeniorum laſcivia, ordinis ampliſſimi diligentiam: ſed & probata eſt in illa Rami cauſa; & toties, in doctrinæ inſolentiam, ſenatus decreta facta ſunt, quoties emerſit illa, & vetuſtioribus diſciplinis inſidiata eſt: ut hæc monimenta eſſent, quanti curam hanc ad reip. quietem intereſſe publicum Galliæ conſilium judicaret.

Quæ principum, magiſtratuumque ſanctiones, cum in omnem doctrinæ novitatem graves & ſeveræ: tum vero in eam quæ religionem attentaret, hoc graviores fuere ſemper, quo propius ab ea, præſentiuſque periculum imminere viſum eſt. Reguntur certe, reguntur a præpotente Deo reſ-

publicæ: neque aut rigida quadam neceſſitate fati, aut præcipiti volubilitate fortunæ; ſed æternæ mentis numine, & providentia gubernantur. Nutu fundat imperia, nutu deſtruit: prçſcribit iis diuturnitatis & potentiæ fines, eorumque amplitudinem ſuo favore metitur. Quapropter hoc regnis uſu venire, frequentibus experimentis edocti ſumus, ut perinde atque religionem curarent: quæ noſtra una cum Deo conſuetudo eſt; ita vel ſtarent eorum res, vel labarent: neque gentes ullæ ſacrorum abjecerint & cærimoniarum formam, quæ non reip. quoque amiſerint.

Neque vero tunc læditur religio ſolum, cum peregrinis ritibus, & abhorrentibus a prima inſtitutione ſacris, tota corrumpitur: ſed etiam cum alienæ doctrinæ, quamvis in ſpeciem incorruptæ, afflatu leviore perſtricta tentatur; tunc ejus majeſtatem immınui, ei periculum, patriæque adeo, creari putandum eſt. Nam ſi novare fas eſſet cuivis, qui modo prçfaretur, nihil a ſe niſi ſanctum afferri; qui novandi finis eſſet? aut quod tandem theologiæ noſtrç veſtigium teneremus? Quid quod non eſt religio ex iis concreta partibus, quarum aliæ diſſolvi, intactis aliis poſſint? ſed ejus ita coagmentatum corpus eſt, ut totam commoveat, qui eam aliqua parte concuſſerit; ita ſimplex atque individua ratio, ut ſuperſit ex ea nihil, ſi quid vel modicum ademeris. Quidquid religioni addideris, ſuperſtitio eſt; quidquid detraxeris, ſacrilegium. Virgo eſt: intactam ſervari oportet; neque vel attrectari temere, vel delibari quidquam ex ea, ſine probro, & inceſti ſuſpicione poteſt. Quamlibet ſit prçclarum & illuſtre novum illud doctrinæ munus, quo donandam religionem ſuſpicis; ſimilis mihi videris adulteri, qui

magnis conditionibus virgini ſtuprum offerret. Vetuſta eadem, & cana eſt: eam fucus & ceruſſa non decet; illudit ejus ætati, quidquid novarum eſt elegantiarum, & adſcititiæ pulcritudinis, recenti artificio comparatæ: atque ut ſenili majeſtate, veneranda eſt; ita novis in cultu inſtructuque deliciis, & omni comptioris meretriculæ mundo adornata vileſceret. Quod ſi & violatur hæc, minimarum rerum inducta novitate; & ea læſa regnis a vindice Deo converſiones, & exitia impendent: intelligitis, auditores, quam ſit e republ. defendi novatorum audaciam omnem ab ea doctrinæ parte, qua ſacrorum interpretatio continetur.

Sed quoniam illi religionis corruptores duci religione, metuque numinis non ſolent, Deumque ac divina omnia nullo habent loco ac numero: relinquam univerſum illud argumentorum genus: iis agam unis, quibus cum profano quoque pugnarem, remque patiar humanis rationibus & judiciis æſtimari.

Ex omnibus, quæ concitationes efficiunt animorum, eſtne aliquid, auditores, quod vim natura majorem his duobus habeat; novitate, dico, & religione? Habet hæc multum auctoritatis, illa plurimum illecebræ: hæc animis imperat, illa blanditur: hæc veneratione populorum, illa eorundem amoribus; utraque, admiratione excipitur. Et religionis quidem tantam eſſe vim, ipſi religionis & pietatis expertes homines duxerunt, ut eam in republ. juſſerint ad regendos, continendoſque populos præcipuo ſtudio curaque ſervari: novitatis vero ea ſemper gratia fuit, ut novarum inventores rerum & artium, Dii quondam a profanis gentibus habiti, & conſecrati fue-

rint. Quæ ſi concurrant ambæ, ſimulque conſpirent; ſi novitas blandimenta ſua religioni, religio ſuum novitati pondus & majeſtatem addiderit: nihil erit, vel ſuavius ad illiciendos animos, vel potentius ad eoſdem, quamcunque libebit in partem, impellendos. Quare hoc ſemper conſultiſſimi quique rerump. moderatores diligentiſſime providerunt, ne qui exiſterent novi religionum interpretes, auctoreſque ſacrorum, qui doctrinis ſuis infatuarent civium animos, adjunctoſque ſibi & religionis nexu, & gratia novitatis, poſſent ad quidvis audendum abducere.

Quibus ſunt aliis artibus ad Europæ perniciem graſſati illi tot rerump. everſores, geminæ voragines ſcopulique regnorum, infanda ad omnem Chriſtianæ gentis memoriam nomina, Lutherus, & Calvinus? Novæ theologiæ figmentis, larviſque religionum recentibus, emotæ civitates, convulſæ provinciæ, turbata imperia, omnis Europa concuſſa eſt. Quam ante iſtorum tempora viam perdendæ Aſiæ Africæque, & excitando ſibi regno Mahometes iniit? tenuis & ſordidus camelorum paſtor, novæ doctrinæ magiſter repente factus, divinum quendam afflatum animi ſimulans, cæleſtiumque congreſſum, multitudinem ſuperſtitione captat, ſuperſtitionem armat audacia; tot militum ductor, quot diſcipulorum ante doctor fuerat, religione allicit, armis terret, vaſtat, incendit, imperat.

a *Tantum relligio potuit ſuadere malorum!* Imperioſa religio! ſeu tu vera, ſeu falſa perſuaſione niteris, utrobique imperioſa, & ſumma dominatrix animorum! Parem adhibet concutiendo

a Lucret. lib. 1.

terrarum orbi machinam, quiſquis hac induſtrie & ſolerter utitur: neque populos certius regere quiſquam poteſt, quam qui eos hoc freno moderatur. Cum enim ſit omnium innata & infixa mentibus notio ſuperioris cujuſdam naturæ, cujus pendere nutibus ſe, fortunas ſuas, alteriuſque adeo vitæ felicitatem intelligant: natura fit, ut quoquiſque ſe magis amat, hoc ſit in ejus cultum reverentiamque propenſior. Nihil eſt ea populis antiquius, qua nihil vel cum rebus ſuis conjunctius, vel per ſe auguſtius eſſe ducunt: hanc traditam ſibi a parentibus præcipuam poſſeſſionem, neque tam rerum ſuarum, quam ſui partem reputant, hærentem in ipſa natura, & intimis ſenſibus admirabiliter inſculptam. Quo fit, ut nova religionum interpretamenta, eodem animo nonnunquam excipiant, quo recognoſcerent indicatam ſibi partem aliquam inſignem paternæ hereditatis, quæ diu latuiſſet. Hinc eorum inflammantur ſtudia; atque ut nihil habent ea re carius, ita nihil eſt, quod hujus accipiendæ, & conſervandæ cauſa non audeant: neque morantur eos ulla pericula, cum hac ſpecie velata ſunt.

Ex quo funeſtiſſimum etiam illud accidit, cum novæ religionum doctrinæ oſtentare ſe populo cœperunt, ut diſſidentibus civium animis, & partim novitate abreptis, quæ leviores impellit; partim antiquitate ſtantibus, quæ graviores retinet; utriuſque religione nitentibus, quam omnes affectant; ſecum ipſa luctetur intus reſpub. & a ſe quodammodo divulſa æſtuet, eæque concitentur in ipſa turbæ ſeditionum, quibus concordia civium, vis legum, auctoritas magiſtratuum opprimatur.

Nam civium quidem, in illis de re tanta divor-

tiis, quæ poteſt eſſe caritas, & conſpiratio? quæ non fovebuntur diſſenſiones, cum ruptum erit vinculum illud publicæ ſocietatis; fietque diſcordiæ fomes, qui concordiæ nexus ante fuerat? quæ non aperta odia palam erumpent, cum inter ſe diſcordabunt ea de re, quæ publica & omnium communis eſt? quam erunt ſævi atroceſque conflictus animorum, cum pro aris utrinque certabitur, & in religionem religio pugnabit? Etenim ut nunquam inter ſe, niſi acerrime, fratres oderunt, propterea quod ſummum illud odium oportet eſſe, quod fraterni amoris vim ſuperare potuerit: ſic eorum, quos ejuſdem religionis quaſi cognatio & germanitas quædam conjunxerat, diſſociari non poſſunt animi, niſi crudeliſſimis diſſidiis, quæ priſtinæ conjunctionis recordatione, vehementius ingraveſcant.

Legum vero quæ tunc eſſe vis, aut quæ vigere diſciplina poterit? Sunt enim profecto leges ab imperiorum conditoribus religione fundatæ, vel quod præſcripta illa officiorum vitæque communis a vitæ magiſtra religione petenda duxerunt; vel certe, ut venerationem iis majorem adſciſcerent: & ſi forte præcipitem furore ac deſperatione populum, pœnarum metu regere, aliquando leges non poſſent; tunc eundem ſanctitate ſua quadam, & quaſi divinitate continerent. Quare cum religionem afflare doctrina inſolentior, cum permulcere civium animos & commovere cœperit: quid aliud, quam periclitari leges, eaſque vel ſubducto ſolo ac fundamento ruere, vel concuſſo labare neceſſe eſt?

Quid interim magiſtratus? alteri favebit parti? alterius offenſionem incurret: neutri ſe addicet? utrique erit inviſus. Vereri enim & amare qui poſ-

ſint, quem nullius religionis hominem ducunt? aut quam huic ineſſe religionem putent, qui nullam profitetur? Quæ magiſtratuum auctoritas, quam parum tuta ſit inter hujuſmodi ſectarum novitates, & temerarias commutationes ſacrorum; intelligimus, auditores, ex eorum hominum geſtis, qui religioni noſtræ aut vetuſtas opes detrahere, aut novi quidquam aſpergere recentis doctrinæ fuco tentarunt: quorum illud ſemper ingenium fuit, ut impatientes dominationis eſſent, poteſtatemque principum, occulte primum & quaſi per cuniculos, tum ubi tempus ferret, aperta vi & profeſſis odiis oppugnarent. Et vero cum ſit illud peculiare Chriſtianæ profeſſionis, ut demiſſis omnes ſubjectiſque mentibus ſimus: proprium hoc contra videtur eorum eſſe, qui ejus immutare leges, & pervertere inſtituta conantur, ut majorum imperium ſuperbe, arroganterque detrectent. Quam proclive eſt, ut qui tot ſæculorum, tot ingeniorum venerandam auctoritatem ſpreverit, hominem unum vereri tandem & obſervare dediſcat? quam affine, ut regia jura conculcet, qui divina protriverit? Parit vivendi licentiam, illa opinandi, & ſentiendi libertas: aſſueſcunt præfracta ingenia, ſuæ ſententiæ, ſuique juris eſſe: vitæ ſuæ volunt eſſe arbitri, qui religionis fuerunt: inter ſubſellia, contumaciæ rudimenta ponuntur. Quis eum miraretur excitare in repub. turbas, qui prius in academia ſua turbaſſet? violare magiſtratuum edicta, poſtquam ordinis ſui decretis parere recuſaſſet? & quam expertus eſſet in evertendis divinis legibus audaciam, eam deinde in regiis exercere?

Sed nihil hominum hæc indoles per ſe noceat, ſint quieti, ſint tranquilli; nihil aut moliantur in

rep. turbarum, aut deinde molituri ſint: etiam ipſis quieſcentibus, patriam eorum doctrina peſſundabit. Nova ſcilicet imbutus diſciplina populus, novis inſtitutis vivere incipit, novoque ingenio: ſeque poſſunt alii mores, non cives alios, aliamque adeo rempub. efficere. Inducantur licet honeſti ritus, ſalutareſque per ſeſe, & priſcis haud paulo meliores: nocebunt tamen, neque tantum erit in re ipſa commodi, quantum ab illius novitate periculi creabitur. *a Ipſa* quippe *mutatio conſuetudinis* (liceat magni Auguſtini verbis uti) *etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat*. Ut enim relinqui quotidiana victus ratio, & contraria quædam adhiberi non poteſt, quin tentari valetudo incipiat, & temperatio corporis tota commoveri: ita novis populi ſtudiis, novoque vitæ genere turbari neceſſe eſt reip. ſtatum, quæ nullis aliis conſervari moribus poteſt, quam quibus aſſuevit.

Quid igitur ſi prava per ſe ac pernicioſa ſunt inſtituta illa quæ temeraria novitas inferre docendo aggreditur? Quid ſi male in remp. doctores ipſi animati ſunt? Et ſunt profecto: neque ullus eorum eſſe ſolet, qui tantum patriæ non ſit, quantum pietati, & ſacris inimicus. Nam, vel excitant in rep. turbas, ut velificentur novæ religioni; quæ nunquam facilius, quam inter tumultus invecta eſt: vel novam religionem afferunt, ut remp. perturbent; quam norunt hac re maxime una concuti, & everti poſſe. Utrumvis ſpectent, patriæ peſtem utrinque machinantur. Quis ullam in rep. ſeditionem vidit, quam iſti tanquam flabella quædam non agitarent, augerentque? quæ turbæ fuerunt,

a Epiſt. 118.

quarum occaſionem non captaverint? quibus alendis, conſilio, calumnia, ſumptu, omni ope atque opera, non ſtuduerint? aut quis hoc non videt, factiones illas jam collectas conflataſque, ad manum eſſe cuivis ex optimatibus factioſo, tanquam expeditas, ſtanteſque in procinctu, & ducis alicujus nutum expectantes? Quod ſi gentibus cæteris ignotum antea fuiſſet, noſtris cladibus ſuperiore ſæculo didiciſſent. Sed & ſuis ipſæ ſunt eruditæ caſibus, vixque ulla eſt, cujus in ſinu impreſſa non exſtent triſtiſſima quædam ad memoriam veſtigia, ex quibus intelligere poſteritas queat, quid in illa religionum novitate, vel ſectatores factionibus; vel doctores, furore & violentia; vel doctrina ipſa, ſua perverſitate & malignitate quadam, publicis rebus minitetur.

Grçcia, regum olim parens, alumna majeſtatis, omnium magiſtra & domina populorum, quæ te fata tot ſpoliarunt opibus, & ornamentis, quorum ex omni ſplendore, una tibi nominis umbra ſupereſt? Obſoleſcere apud te cœpit antiquum illud imperii decus, cum primum vetuſtæ religionis integritatem novis opinionum commentis adulterare cœpiſti. Fuerunt divortia doctrinarum, & perpetuæ de myſteriorum noſtrorum ſanctitate contentiones, tot bellorum prçnuntiæ, quæ te, tuaque ſacra expilarunt. Mulctata eſt illa divinis de rebus decernendi libertas, duriſſima ſervitute, qua deinde preſſa es: exemplumque in te poſitum eſt, in quo gentes omnes agnoſcerent, prçcipitem illam ſacris in rebus innovandi licentiam, vel cauſam exitii, vel omen impendentis calamitatis eſſe. Pacata eſſes, Britannia, niſi te hi turbines agitaſſent. Ex quo inhiare cœpiſti ad omnes de religione doctrinas, & ſuſpenſa ex illis auris eſſe; nulla tibi quies

a

a tempeſtatibus, & naufragiis fuit. Olim fortunata, nunc incerta erranſque inſula, quaſi eruta radicibus tuis, & a fundo revulſa, fluctuas: tot abrepta ventis in diverſa pellentibus, quot varias pugnanteſque ſectas una ſecuta es: tot lacera partibus, quot te formæ ſuperſtitionum contrariæ dividunt, diſtrahuntque: cadaver imperii, ex quo apud te anima imperii avita religio extincta eſt: aut potius, ex quo novas alias accepiſti, ſimilis eorum hominum, qui cum ſint a multis inſeſſi correptique impuris ſpiritibus, raptantur ab iiſdem, vexanturque ſæviſſime, ſuumque in ſe furorem exercentes, non membris, non capiti parcunt; neque poſſunt ſuo regi ſpiritu, dum a multis alienis, & adventitiis agitantur. Unde apud vos, Belgæ, tanta rerum eſt ſuperiore ſæculo facta converſio? ejecti principes, ut plebs imperaret; nova in urbium ruinis fundata reſp. quæſita vitæ libertas, inter cædes mortemque certiſſimam, cui nuſquam amplius theatrum, quam in anguſta illa portione terrarum patuerat. Illos tumultus, illas provinciarum veſtrarum ærumnas, & perpetuas tot annorum tempeſtates, ſparſa temere apud vos exponendæ religionis novitas una concitavit. Germania, quæ gens erat in orbe terrarum te beatior? quæ omnium, aut ſtatu pacatior, aut fundatior opibus, aut imperio potentior, antequam æſtus illi aliarum ex aliis doctrinarum, religionem abſorberent tuam; cumque religione adeo beatam illam pacis & otii tranquillitatem pellerent, exhaurirent illam opum amplitudinem, illos potentiæ nervos eliderent? Iiſdem in ſinu tuo procellis Bohemia, iiſdem Pannonia jactata eſt: neque provincia, quam late pates, ulla fuit, quam non hæ commotiones everterint. Eadem a te lues in

Septentriones ſummiſſa, cædes atque occiſiones fecit in Dania, expulit e Suecia reges, diſſenſiones commovit in Polonia; ubique bella, ſtrages, parricidia excitavit.

Abſtineo a te conſulto, Gallia: parco luctum renovare funeſtiſſimorum temporum, quorum ipſi partim incendia, partim fumantes adhuc reliquias vidimus. Hoc tantum interrogo: quæ tibi peſtis tantum conſciſcere malorum potuit? quo deluſa & capta faſcino, in te ipſam conjurata pugnabas, tuis opibus conſumpta, tuis fracta viribus, quæ alienis ſemper invicta fueras? cum a templorum ruinis, ad urbium & provinciarum direptiones; a contemptu ſacrorum & cerimoniarum, ad legum everſionem; a ſacerdotum proſcriptionibus, ad cædem magiſtratuum; a divinæ auctoritatis neglectione, ad regiæ deſpicientiam odiumque, nefarii cives bello indicto progreſſi ſunt. Tibi, finitimiſque populis, tot calamitatum cauſæ, novæ de theologia fabellæ fuerunt.

Prodibant argutuli morum religioniſque cenſores, velut dii quidam e machina, homines ignoti prius, & ſua tantum novitate famoſi. Erat in vultu habituque omni, expreſſa priſcorum temporum ſimplicitas, & affabre quodammodo facta modeſtia: quam alii ad conciliandos animos comitate quadam, & affabilitate ſermonis exquiſita; alii ad incutiendam venerationem, triſtitia & ſeveritate condiebant: ſanctitatem integritatemque vitæ congreſſus ipſe ſpirabat. Profitebantur afferri à ſe laudatiora quædam inſtituta, & caſtigatiorem diſciplinam, qualis aut natæ recens, aut ævi quodam flore vividæ religionis fuerat: conſenuiſſe apud æquales ſuos eccleſiam, illa viriditate, illo ætatis integerrimæ robore, ac virtute defectam: a limpi-

dis illis fontibus divertiſſe multas jam ætates ad turbidos lutulentoſque rivulos, quorum cœnoſæ ac putres aquæ ad ſua tempora permanaſſent: correpſiſſe in religionem, ipſumque adeo ſinum eccleſiæ, ſordes errorum intolerabiles, morumque corruptelam, quibus emendandis proviſum eſſe divinitus antiſtitem ſuum aiebant. Poſtquam levioribus in rebus minima offenſione proluſiſſe viſi ſunt: primus eſt ab iis impetus in Chriſtiana ſacramenta factus. Rejecta privata ſui accuſatio, & larva quædam pœnitentiæ, eaque publica, ad veteris illius, uti jactabant, amuſſim exacta, ſervata eſt. Redactum ad tenuem exilemque umbram ſacramentum omnium auguſtiſſimum, ejuſque uſus valde infrequens inductus; quo uno captata omnium ingenia ſunt: nam & ſuperſtitioſi ducebantur reverentiæ ſpecie, & licentiores minuſque amantes ſacrorum, probabant hanc ceremoniarum vacationem loco religionis oblatam, in eoque ſe pios eſſe gaudebant. De divina gratia, deque humanæ arbitrio libertatis, venditari flagitia cœpta ſunt: in quibus nihil ſtudebant magis, quam ne quid novi protuliſſe viderentur: ubique auctorem Auguſtinum, ubique prima eccleſiæ ſæcula doctrinæ ſibi normam, exemplumque religionis eſſe prædicabant. Cognoſcite, Auditores, quam ſit omnis per ſe odioſa novitas, cujus artifices & molitores ipſi, etiam cum eam efferre in lucem, & commendare populo ſtudent, nihil a ſe vehementius, quam novitatis odium deprecantur; maluntque carere inventi laude, quam adhæreſcentem ad res novas offenſionem ſuſpicionemque juſtiſſimam ſubire. Auguſtinum interim, doctores in exedris, in circulis mulierculę, in officinis ſellularii opifices, doctrinæ ſuæ fundum crebris ſermonibus uſurpa-

bant. Pandebantur omnibus operta theologiæ ; myſteria noſtra, oblectamenta plebeculæ facta ; Davidis carmina, ſacri libri omnes, omnia religionis arcana ; patrio ſermone vulgata ſunt. Primæ in illa rep. mulierum partes erant, ut quæque lepidiſſime garriebat, ita vel in diſceptandis controverſiis, vel in aucupandis, aggregandiſque ad partes ſuas amatoribus, maxima laude verſabatur. Ubi coalita in corpus & conflata ſecta eſt, proprii catechiſmi, propriæque precum formulæ ſpargi cœperunt in vulgus, ut novæ religioni nova elementa ne deeſſent. Factæ quoque, ad ſuſtentandam civium inopiam, largitiones effuſiſſimæ, vel ad prolectandam fæcem egentiſſimorum hominum ; vel ad illudendum incautioribus, & novam impietatem, hac veteris pietatis & charitatis ſpecie velandam. Nihil autem omnium æque nocebat, atque nimiâ quorundam mollitia, virorum alioqui minime malorum, & ſanioris doctrinæ retinentium : qui ſive natura mitiores erant, & urbaniores juſto, ſive deluſi fuco illo ſanctitatis, certe parum theologiæ gnari, novam hæreſim damnari palam vetabant, aut appellari durius, tanquam ſi probabilis controverſia foret ; & neceſſariam religionis defenſionem, contumeliam vocabant. Augebantur enim illius peſtis pericula, dum ejus odium minuebatur : & quo minus erat ſuſpecta, eo ſecurius gliſcebat. Conſcendebant fidenter in templorum pulpita, buccinatores exitioſæ diſciplinæ, ludimagiſtros captabant, quorum opera teneræ puerorum mentes occuparentur : propria quædam ſibi gymnaſia ; tanquam emporia doctrinæ ſuæ, novæque reip. ſeminaria vindicabant Viri eruditi, ſi pecunia ſubornari poterant, ingenti ſtipendio redempti ; ſi corruptelæ minime affines viſi ; vexati ca-

lumniis, appetiti contumeliis, modis omnibus infamari: neque fuit cura potior, quam ut ordines professione vitæ ac nomine religioſos, partim odio, partim ludibrio exagitatos, vel deterrerent a meliorum propugnatione partium, vel omni apud populum auctoritate ſpoliarent. Si quis erat, quem contra rem ſuam venire intelligerent: hunc, quiſquis eſſet, dum acceptas a patribus, neminique ante illorum vecordiam vocatas in dubium doctrinas fide bona exponit, palam inſimulabant Pelagianæ perfidiæ; Pelagianum pleno ore, bucciſque tumentibus, haud ſcio an faſtidioſius, an contumelioſius appellabant. Pelagiana ipſis Sorbona, Pelagiani ſanctiſſimi quique doctores, Pelagianus pontifex maximus erat. Nihil dico, quod ipſorum monimentis conſignatum hodieque non exſtet. Et principio quidem cum magnæ fuiſſent in Romanum pontificem, maximæ in Eccleſiam obſequii & reverentiæ ſignificationes datæ: ad extremum, deriſa hujus auctoritas, illius fulmina exſibilata per ridiculum, & temere laceſſita. Petebatur unum illud eccleſiæ caput, ut deinde faciliore de præſulibus cæteris victoria defungerentur: redactum in ordinem, & æquo parique jure cum epiſcopis aliis eſſe juſſum, dividebant in plura capita, ut eſſet vis ejus diſtracta debilior, neque pax iis fuit, quieſve ulla, quoad importunam cervicibus ſuis omnem ſacrorum magiſtratuum auctoritatem excuterent. Hic ad poteſtatem regiam oppugnandam gradus fuit, hæc populo ad perduellionem via munita eſt. Quid in animas non poſſit conciliatricula novitas? Populus regum ſuorum præ cæteris amans, ubi novarum opinionum religionumque quaſi muſto quodam incaluit, claſſicum in reges ſuos canit furore atque amentia præceps; conſcribuntur ex om-

nibus ordinibus innumerabiles copiæ; ſummis, mediis, infimis, ad arma tanquam ad ſacra convolantibus; omnes ab antesignanis ſuis religione, ferroque armantur. Succenturiatur huic militiæ manus ingens, vel deſperatorum, qui fortunæ ſuæ faſtidio, publicam odiſſe ſolent; vel ſimplicium & incautorum, quibus aliorum exempla jus faciunt. Ita ex minimis initiis peſtiferæ novitatis, quæ negligenda plerique ducebant, ex illa emendatione morum ad exemplum ſanctiſſimæ vetuſtatis expreſſa, adeo ſuccrevit impietas, eoque ſenſim ad hujus exitium imperii provecta eſt, ut regnum ſuum in Gallia reges noſtri prope quærerent. Qui ut minus haberent apud omnes venerationis, minorque populo religio eſſet, in eos pugnare, quibus vel odio, vel contemptui habendis aſſueviſſet: prius etiam, quam armis peterentur, ſtrictus in eos ſtylus eſt, cujus mucronem acuebant ad procacitatem omnem ſacrilegi ſcurræ, & in optimorum principum vita moribuſque defigebant.

Quo ex genere ſectaque hominum fuiſſe oportet: illum (ſatis enim ex ingenio agnoſcitur) fuiſſe, inquam, illum oportet libelli, qui Mars Gallicus inſcribitur, auctorem: qui mentito Alexandri Patricii Armacani nomine latere voluit; ſcriptorem, ſi quis unquam alius fuit, in obtrectando furioſum. Quæ vox ſi paulo viſa eſt amarior, larvam quam induit, Armacanus iſte accuſet. Ita enim a conviciando, natura ſum & inſtitutione alienus, ut ſi certus libri proderetur auctor, quanquam æque factum horrerem; perſonæ tamen, in cœtu præſertim honeſto, parcendum ducerem; neque ut graviore dicto læderem, ut notarem verbo, poſſem adduci. Sed dum ſine cujuſquam injuria, indulgere juſtiſſimo dolori poſſumus, & amori in patriam,

regeſque noſtros; quis invideat? aut quæ prohibeat officii lex.? aut quis naturæ pietatiſque ſenſus non imperet.? Reges ille noſtros, quotquot ſunt, idoneos putavit, in quos omnem contumeliarum fæcem, ſine pudore ac modo, evomeret. In quo quid primum omnium admirer, indignerve neſcio, ita ex omni litterarum, librorumque memoria, qui ſtolidius mentiatur, præfractius imponat, interpretetur malignius, novi neminem. Fuit certe, fuit impietatis maximæ, librum ſcripſiſſe tam execrandum; in gentem ſummæ Chriſtianam, in divina munera, in ſanctiſſimos reges injurioſum. Fuit ſordidi, viliſque ingenii, arripuiſſe de trivio crudum illud maledicendi genus; & cum nihil reperiret niſi ſanum & integrum, ulcera feciſſe, in quibus unguem infigeret. At quod furorem illum ne abſtinuerit quidem ab auguſtiſſimis capitibus, quorum vereri effigies debuiſſet; videte, auditores, quo dignum id nomine, cuive pœnæ obnoxium judicetis.

Sed librum illum ſane mittamus, illum calumniarum gurgitem, contumeliarumque ſentinam, quæ agitari diutius ſine nauſea non poteſt: eoque orationem, unde modice deflexerat, referamus. Intelligite, auditores, quam ſint pernicioſe de republ. meriti ſuperiore ſæculo, illi de quibus ante dicebam, paternæ pietatis deſertores; & quo patriæ periculo, etiam cum ſigna in reges ſublata nondum eſſent, religionem ſuam nova doctrinarum colluvie inquinari paterentur: ex eo enim id apparebit, quod pugnamus unum; nunquam hujuſmodi doctrinæ novitatem, reip. periculoſam non eſſe. Hoc autem liquidius in exemplo cernite.

Facite Armacanum iſtum non unius fuiſſe mon-

ſtri parentem, ſed librum edidiſſe de theologia, Marti Gallico germanum & geminum, id eſt, valde contumelioſum: facite (quid enim fingere cogitando non licet?) novi quiddam ab eo de religione allatum eſſe; novam inſtitutam eſſe ſectam; confectum doctrinæ corpus, ſeu plane novum, ſeu concinnatum ex alio quodam peſtilenti, & ad fraudem, interpolatum. Huic deinde ſi qui cives pertinaciter adhæreſcerent, ſi eum novæ diſciplinæ ſequerentur auctorem: hoc a vobis quæro: quamvis nondum erupiſſet aperta in rempubl. conjuratio, an non videretur tamen illa hominum natio huic pernicioſa regno, & rebus noſtris inimica? eſſet profecto, & ſupra quam dici poteſt, eſſet inimica. Cum enim novitas omnis natura ſuſpecta ſit: ſuſcipi certe non ſolet, ſi non illius auctor ex omni parte placeat. Numinis tibi alicujus inſtar eſt, qui tantum in te auctoritatis obtinuit; amplecteris ejus ſtudia omnia; omnia in verba juras: neque poteſt in altero tibi deteſtabilis, in altero Deus aliquis videri. Fingerentur illi ad antiſtitis ſui naturam; hominis ingenium, moreſque combiberent; & ejus odiis imbuti, factionem conflarent huic imperio vehementer infeſtam. Cumque deinde ad turbas, ad defectionem, ad arma ventum eſſet; qua excuſatione uterentur etiam imprudentes, minuſque mali? qui hoc ſaltem haberent criminis, quod ſatis ab eo, quem patriæ ſuæ ſcirent hoſtem, cujus timere debuiſſent ſiniſtra conſilia, non caviſſent: maxime ſi Mars Gallicus non excidiſſet juveni Armacano, ſed a viro elaboratus eſſet inter contemplationes illas, quibus novam a ſe theologiam divinitus hauriri fingeret: neque ignorarent ipſius aſſeclæ, fuiſſe utrumque illud opus eodem fabricatum tempore, eodemque

eodemque proinde ſuffuſum felle, eodem ſpiritu animatum. Minus enim iſti cauſari poſſent, deceptos ſe fraudulenta profeſſione quam ubique Armacanus ingereret, ſuaviſſimæ caritatis: cum doctrinam illam noſſent inter atrociſſima maledicta, furioſo ingenio conceptam; ab eo, qui tum, cum eam pareret, tetra quadam in auguſtiſſimos principes rabie totus æſtuaſſet. Quid vero, ſi novus ille apparatus theologiæ, re novus non eſſet? ſi nihil afferret, niſi recoctas fæces illius doctrinæ, quæ tot nuper in Gallia procellas tempeſtateſque concivit? quanto eſſet ementita iſta novitas huic regno periculoſior? & quo flagitio eam iſti ſuſciperent?

In illa rerum imagine, quam ad exemplum ultro a me confictam videtis; recognoſcite, Auditores, quam graviter ſit in remp. proximo ſæculo, a transfugis illis, ipſo novitatis initio, exortuque peccatum: qui ſi nondum civiles motus, nondum inflammatas ſeditiones, patriæque incendia cernebant; videbant certe famoſos in reges libellos; ſatiſque docebantur his unis, quæ doctorum ſuorum modeſtia, quæ pietas eſſet; aut quorſum eorum conſilii, novæque ſectæ clandeſtina & tenebricoſa inſtitutio ſpectaret. Si nullus erat regum amor reſpectuſque nullus; admonebantur amore patriæ reique communis, ne acciperent ſatus peſſimos doctrinarum, quibus recens in ipſorum oculis vexata Germania; & miſerrime conflictata fuerat.

Ego certe ſi incidiſſem in illa tempora, ita mihi videor compellaturus præcones iſtos novitiæ ſanctitatis fuiſſe. Qui vos, autunde tandem eſtis, quibus tantum de religione noſtra liceat? Cur nobis de paterna hæreditate litem, poſt tam diuturnam poſſeſſionem, intenditis? Sinite nos iiſdem uti religionibus & ſacris iiſdem, quæ dum hoc regnum

ſuſciperet, divinis muneribus ad gratulationem ornatum eſt; dum retinuit, florens ſtetit tandiu, perpetuiſque Dei beneficiis eſt uſum. Sine vobis Gallia tot jam ætates Chriſtiana fuerat: ſine veſtra theologia reges noſtri, tot ſæculis, Chriſtianiſſimi merito dicti erant: Hunc iis titulum eripit, qui de ipſorum religione, & doctrinæ, qua Chriſtiani ſunt, ſinceritate dubitat. Chriſtianiſſimi dici non poſſent, ſi non eſſent jure optimo Chriſtiani. Quid ergo noſtram nobis in religione cæcitatem, erroreſque noſtros objicitis, qui eadem, qua ipſi, profeſſione, eadem doctrina, sacramentis iiſdem, cerimoniiſque ſacrorum utimur? Interim autem dum noſtra vobis ſordet antiquitas, & priſco ac triſtiore cultu religio diſplicet: novitatis veſtræ delicias, & exquiſitiorem elegantiam, qua demum ut amplectamur, auctoritate obtinebitis? patrum decretis? pontificum oraculis? vos illa configunt. At doctrinam veſtram ne tetigerint quidem; ſit res adhuc in medio poſita; nondum dijudicata, & deciſa ſit: cur pro re ambigua, & incerta, patriam in tam certa pericula conjicitis? Qua vero tam inſigni laude meruiſtis, ut vobis tanta de re crederemus? an arrogantia illa, qua vos unos ſapere, cæteros tot ſæculorum, tot gentium, tot academiarum, eruditione juxta, & ſanctitate præſtantes viros deſipere judicatis? cum iis nos errare patimini. An effrenata linguæ, ſtylique petulantia, qua privatos homines, qua reges, qua pontifices inceſſitis? his myſteriis nos initiari ne cogite. Idoneus erat ſcilicet ille hominum furor, per quem Chriſtiana res ad priſcæ modeſtiæ formam referretur! O religionis noſtræ præſtantiam, quæ niſi per maledicos interpretes reſtitui non poterat! O Dei providentiam, & ſanctitatem, qui poſt tot ſæcula, vos unos

tanto muneri pares invenerit! Probis, modeſtis, verecundis hominibus; ſi nova de ſacris & religionibus dictata darent, non crederem: & vos audiam? Quod ſi pruritus innovandæ doctrinæ tantus urebat: ſaltem aliam inferretis, quam quæ recentium tumultuum concitatione infamis eſt. Ecce vix afflata nobis eſt illa, cum pax, & quies turbari cœpit. Faceſſite cum hac veſtra, bonæ mentis & tranquillitatis inimica, ſapientia.

Hæc mea fuiſſet, ut mihi quidem videtur, ad illos novitatis architectos, & juſtiſſima quidem oratio: certe hoſtes illos patriæ duxiſſem, & pacis inimicos otiique communis. Nunc autem, quantas a nobis Deo optimo maximo gratias haberi par eſt, Auditores, qui tranquillam rempublicam, & commodiora tempora nacti ſimus? Tum quanta nobis vigilantia providendum eſt; ut quo fuit majoribus noſtris novitas doctrinæ funeſtior, hoc ſimus in retinenda ejus vetuſtate firmiores.

Non id eo loquor, quaſi occupato a veteribus omni doctrinarum orbe, nullus inveniendi locus poſteritati ſuperſit: neque hanc fieri velim injuriam, aut diſciplinis, ut nullis deinceps novis opibus locupletari queant; aut ingeniis, ut ſit iis campus omnis exercendæ induſtriæ præcluſus. Inveniant certe, quibus hæc vel libido eſt, vel indoles: ſed ita inveniant nova, ut vetera non perdant; artes a majoribus acceptas illuſtrent ſolertia ſua, non invidia quadam extinguant: quidquid induſtria ſibi pepererint ſua, ſit ipſis velut caſtrenſe peculium, quod ad patrimonium adjunxerint. Atque ut novum aliquem mundum excitatis urbibus, deductis aquis, hortis nemoribuſque conſitis, homines condiderunt ſic, ut ædificatum a Deo mundum non deſtruxerint, ſed ornarint: ita novum

aliquid in doctrinis creare, eatenus fas eſto, ut tanquam inædificatum veterum diſciplinarum ſolo, ad ornamentum iis, & ſplendorem accedat. Serventur antiquæ mortalium altrices, a quibus ſunt ætates ad hanc diem, genteſque omnes educatæ: ipſæ, ſi ſunt aliquæ, minus illuſtres, ſuum apud nos decus ac dignitatem obtineant: neque momenti nullius ducamus eas, quas ad reipublicæ ſalutem pertinere, regum noſtrorum ſenatuſque graviſſimis judiciis decretum eſt.

Pariſienſis eſt præſertim academiæ, cum omnes vetuſtate ſuperet, doctrinarum antiquitatem tueri; cum fama religionis ubique clara ſit, profanam a theologia novitatem arcere; cum ſit, regum noſtrorum condita & amplificata beneficiis, infenſam ipſis eorumque imperio novandæ doctrinæ libertatem compeſcere. Et facit profecto, tantaque auctoritate facit, quanta illorum exemplo & decretis ineſt; qui cum ætate doctrinaque præſtent, ordinis ſui dignitatem ſuſtinent, ac tuentur omnem. Quam integritatis laudem, eo ſibi diuturniorem defendet bonarum artium mater, quod, & ſapientiſſimi quique pro antiquæ doctrinæ tutela diligenter excubant, & cæterorum neminem par eſt credere, tam amentem futurum unquam, ut dum conſpirare cum principibus ſuis ſumma cum laude poteſt, ab iiſdem malit, cum multiplici flagitio, deficere. Is enim (ſi quis hujuſmodi oriretur aliquando) dum & in academiam contumax haberetur, & in religionem ſacrilegus: oſtenderet ſimul, quam metuendus patriæ civis eſſet. Nullum, quippe ingenium eſt reipublicæ pernicioſius, quam eorum, qui vel faſtidio quodam, auctoritatem omnem ſine verecundia ſpernant; vel ſi novarum rerum auctores ipſi non ſunt, pateant certe cor-

ruptelæ, & auctorati a factioſis, pretioque conducti; res auguſtiſſimas duas, religionem, doctrinamque cauponentur. Quid patria, quid communis tranquillitas patiatur, penſi nihil habet hominum illud genus; dum quanta mercede locati ſunt, tantas aut ſcribendo, aut vociferando tragœdias excitent. Perturbanda eſt publica quies, perrumpendæ leges, ſacra violanda, evertendum imperium; ut novatoris unius ſomniis quæratur auctoritas: miſcenda ſunt cuncta tempeſtatibus; modo iiſdem ille ventis ad gloriam provehatur: tanti eſt perire omnia; dum antiſtitis ſui ſecta, nomenque vigeat. Hæc factionis omnis indoles, hoc ingenium eſt, Auditores: cujus ab importunitate ut caveamus in poſterum, & præteriti temporis calamitates admonent; & faciunt eædem, ut nullo negotio caveamus. Eſt enim tam recens apud nos memoria fraudum omnium, quibus circumvenire populi religionem perfida novitas ſolet, ut iis deludi, niſi volumus, non poſſimus.

Quem enim facere fucum impoſtores ulli hac ætate poſſent? aut quæ verba darent? leve quiddam, & exiguum eſſe, quod innovatum venirent? hæc poſtremæ ætatis perduellium primordia fuerunt; eundem exitum jure formidarem. Nihil a ſe niſi religioſum doceri? eadem iſti oratione urgebantur, a quibus tamen attentata eſt deinde per religionis exitium patriæ ſalus, perinde quaſi per parentis unius latus, alterius vita pateretur: referri a ſe ſanctiſſimæ antiquitatis nitorem? aliis eſſemus ludendi præſtigiis: exploſum eſt, in Lutheri Calvinique cauſa, ſimulacrum illud inane vetuſtatis; neque nos fallere larva eadem, aut vanis terroribus commovere poſſet, quam ridere jampridem aſſuevimus. At quod reſponderent viciſſim iidem, cum

expoſtularemus de periculis ſummis, quæ novitate illa ſua non religioni tantum, ſed etiam patriæ conflarent? quid cauſarentur: nihil ſe periculi videre? & noſtris, & vicinarum gentium exemplis recentibus convincerentur. Sed non viderent ſane; ignorarent; quam molirentur reipublicæ perniciem; tantum mali imprudentes facerent: tamenne minus coercendi viderentur? aut quis amentem idcirco reprimendum non putet, quod nullo ſuo ſcelere domum incendat? Nulla ſatis tuta res eſt, ubi ſacra periclitentur. Mens eſt reipublicæ religio; immortalem eſſe oportet: fundamentum eſt imperii; concuti ſine ruina non poteſt. Quæ ut regnorum omnium habeantur communia, de noſtro certe id tanquam proprium ſtatuamus: cum ſit omnium vetuſtiſſimum, nullum eſſe cui novitas videatur infeſtior; cum religione fundatum ſit, ſacram in eo doctrinam, ſine præſenti ruinæ periculo, mutari non poſſe.

AD

EXTEMPORALEM DEFENSIONEM

PRÆFATIO.

SUSPECTA *cauſa eſt*, CANDIDE LECTOR, *cujus non poteſt niſi operoſius adornari defenſio. Ego meam ex tempore propugnavi, non quod mihi, ſed quod illi confiderem. Quod vero tam ſubita prodeat, neque diutius prematur, ſeveriore ſtylo accuranda; non temeritate; fiduciaque ulla mea factum eſt: ſed ut qualis primum eſt orta, talem hic tibi ſine fraude repræſentem. Præſtabit enim ſinceriorem videri, quam adſcito artis noſtra mundo fucoque omni, comptiorem. Adeſt*

certe, qualem recente adhuc & calente memoria, ſtatim atque habita eſt, quanta potui maxima fide, dictavi.

Confluxerunt ut dicentem me audirent multi, qui Cameracenſi ſatiræ interfuerant: horum cauſa defenſio mea non prodit. Cæterorum ſiquis eſt, cui declamatio iſta impoſuerit: hunc ſpero, ubi noſtra legerit, haud difficile dedocendum.

Fecerunt etiam, ut defenſionem hanc in lucem exire paterer, academici quidam, eique in ordine ſuo ſpectatiſſimi; qui vel ipſi per ſeſe, vel per amicos, id a me prope flagitarunt: non, uti jactabatur, hominis iſtius odio ducti; ſed quod hanc Pariſienſis academiæ cauſam eſſe, viri rerum ſuarum intelligentes dicerent. Norunt ſcilicet, non potuiſſe Ramum a Franciſco Dumonſtier propugnari, quin ab eodem oppugnaretur academia: damnatam ab ea Rami doctrinam, & poſtulatam judicio fuiſſe: Ioachimum Perionium ex academiæ quondam decreto adverſus eum ſcripſiſſe: exſtare Petri Gallandii, aliorumque orationes, pro ſchola Pariſienſi, contra novam Petri Rami academiam: *indignum eſſe ſtudio tranſverſos agi quoſdam, ut arma in ſeſe furioſi convertant.*

Cæterum primus hic in profeſſorem iſtum ſuſceptus a me labor eſt; eritque poſtremus idem, ſi ſe in fundo ſuo, id eſt, in jurgiis & maledictis continere deinceps velit. At ſi lineam hanc tranſiliat, ſi controverſiam mihi de re ulla moveat, quæ in litteris, aut aliqua humanitatis parte verſetur; judicium ſuum his de rebus inepte interponat, quæ tractari liberaliter & honeſte poſſunt: ex ramo uno totius fatum arboris exiſtimet.

DEFENSIO

Adverſus ſatiram a Franc. Dumonstier, *eodem die recitatam.*

Pariſiis III. Kal. Mai. cIↃ. IↃC. LI.

Scitum eſt Euripideum illud, Auditores, veritatem in ſimplice neglectoque cultu placere; calumniam, niſi fucata induſtrie, magniſque operis & artificiis adornata, tanquam e machina prodeat, non placere. Quo minus mirum vobis videbitur, Franciſci Dumonſtier orationem, quæ perpetuum quoddam calumniæ textum eſt, ſemeſtribus elaboratam vigiliis, vix tandem prodiiſſe; meam quæ veritati patrocinatur uni, extemporalem, ingenuam, nullis aut ab arte pigmentis, aut a commentatione conquiſitis argutiis, vix ſumpto ad meditandum ſpatio, ſecuram exire. Veritati facit injuriam, quiſquis eam ceruſſa, fucoque oblinit; non eſt diuturnis lucubrationibus in lucem eruenda, quæ lux eſt ipſa per ſeſe: atque ut non diuturnitate temporis, & moroſiore cura elaborantur ſolis radii, ſed ſponte, momento uno proſiliunt, terraſque omnes, quibus ſunt infuſi, colluſtrant; ſic moras omnes odit, præciditque veritas; erumpit in apertum ſine molitione ulla, ſine artis apparatu; neque illuſtrioribus unquam ornamentis inſtructa eſt, quam cum propriis unis nativiſque reſplendet.

Prodeat ergo pura veritas, ſimplex, ſincera, inelaborata: quæ nunquam latere ſine injuria, nunquam conſpici ſine ornamento poteſt: prodeat, & offuſam mendaciſſima obtrectatione caliginem ſua

luce diſſipet. Poſtulor falſi, Auditores, & calumniæ ſed per calumniam, arceſſor. Ac vobis velim, arbitris, & diſceptatoribus, controverſia dirimatur.

Septem fere menſes ſunt, ex quo ad ſolennem ſcholarum noſtrarum inſtaurationem, publice ſum pro mei muneris ratione præfatus. Dixi adverſus novitatem doctrinæ, & ita dixi, ut oratio mea clariſſimis ordinum omnium viris, qui intererant, ſi non ab artis concinnitate, argumento certe ipſo probaretur. Sed cum feriiſſet nonnullorum animos, & bilem iis conciviſſet, qui me partem aliquam religionis petere & inſimulare novitatis, temere ſuſpicabantur; cum eos muſſitare jam & commoveri audirem: eam, ne calumniæ pateret, in lucem edidi. Neque tamen calumniam vel ſic fugimus; quæ cum valida & robuſta eſt, amat iis in rebus inſigne quoddam ſpecimen edere, ad quas ne leviſſimæ quidem ſuſpiciones adhæreſcunt. Ecce enim poſt tantum tempus, tanquam in ſcenam hodie prodiit Monaſterienſis iſte, calumniam, calumniam, plenis buccis, contentiſque faucibus tragice clamitans: & forte clamitat etiamnum: cum enim veterum declamationum, quibus in nos olim debacchatus eſt, conſarcinatos pannos omnes in illo cœtu explicet, ventiletque; cum ad codicem ſuum identidem cæſpitante memoria confugiat: eo factum eſt, ut & longior eſſet, & tardior, moleſtiorque maledicentia. Venerunt ad me modo viri, qui adfuerunt, intelligentiſſimi: qui partim nauſea victi & faſtidio, partim ut ad tempus adeſſent certa relaturi, affecta jam & tantum non abſoluta oratione diſceſſerunt

Ex iis intellexi, hoc primum a declamatore quam atrociter, tam frigide expoſtulatum fuiſſe, me claſſicum oratione mea ceciniſſe: nihil illam anhelare

niſi cædem & ſanguinem : me Bartholomæanam aliam internecionem adverſus Janſenianos moliri : primas ſeditionis faces jactaſſe. Quod hominis delirium mirati ſunt, qui meminerant nullam orationis meæ literam eo ſpectare, ne apicem quidem unum in ea rubricatum eſſe, qui cædem minaretur : ſtatuebantque nihil eſſe deinceps quod fingi ab eo non poſſet, qui rem tam abſurdam, tam abhorrentem, tam aperte falſam eſſet impune commentus.

Hinc tamen clamoſæ & turbidæ accuſationis exordium duxit, eandem næniam ſæpius integravit, lamentabilem in modum quiritans, ſive quod theatralis illa jactatio placuit, ſive quod naufragante toties memoria, receptus in hunc portum commodus videbatur. Aut certe, cum neque inſtituti à me, neque ſuſcepti ab eo ſermonis argumentum hoc eſſet : fanaticos illos terrores, quibus ſe conſternatum non diſſimulavit, ſomnium ipſi quoddam, vel propria conſcientia fecerat : quæ debitas ſibi pœnas, ſi aliunde defuerint, fabricatur. Panicos illos metus, & lymphaticos pavores ſecum ipſe concoquat : non eſt meum eos depellere, quos non incuſſi : litem hanc ſibi ipſe movit, eandem ſecum ipſe diſceptet : ego orationem meam tueor, non iſtius conſcientiam apud ipſum purgandam ſuſcipio.

Declamationis igitur caput hoc fuit, quo ſe uno ad dicendum impulſum eſſe profeſſus eſt : falſo a me accuſatum eſſe Ramum : calumniam meam in regios profeſſores, quorum ex ordine Petrus Ramus quondam fuit, redundare totam : ſe vindicem, & propugnatorem ad dicendum ſurrexiſſe. Summa hæc criminationis erat. Nam maledicta cætera, & volutatas in triviis conviciorum ſordes, aniles de nobis fabulas, cloacam contumeliarum,

Digitized by Google

quales evomeret pannucia Baucis, veluti aſſumenta quædam attexuit. Hæ ſunt hominis elegantiæ, has ſermonis lautitias unas novit; iis horridæ, & incultæ orationis aſperitatem putavit ſuaviſſime condiendam. Ego vero has illi munditias relinquo: ſua ſibi maledicta, tanquam in proprio ſolo, commode ſervet. Aſſuevimus jamdudum ad hujuſmodi latratus obſurdeſcere: quos glorioſum eſt ſpernere; vincere, propudioſum. Si ſuæ tantum obtrectandi libidini contumelioſus clamator indulſiſſet, dum res ſtetiſſet intra jurgia, & pingue illud, quod ipſi vernaculum eſt, maledicendi genus: tacuiſſem profecto, neque committerem ut dimicare viderer eo certamine, in quo nulla niſi turpis eſt & probroſa victoria. Nunc autem, quia præter fæces illas ſordidæ & illiberalis maledicentiæ, quæ vernulam magis lixamque decuiſſet, facti quæſtionem quandam & controverſiam inſtituit: cauſam a conviciis ſecernam, quæ res in ejus oratione duæ connexæ & indiſcretæ fuerunt: maledicta relinquam, quæ me minime decerent; rem ipſam tractabo, quam a columnia vindicari, publicæ fidei literarumque intereſt.

Nego quidquam a me per calumniam, quidquam niſi ex pura putaque veritate de Ramo eſſe dictum: nego regiorum profeſſorum ordinem meis de Ramo verbis ulla ex parte eſſe violatum.

Quid eſt igitur a me de Petro Ramo dictum? Auditores: hoc primum, turbaſſe in Pariſienſi academia, quæ tota repugnabat: ejus de dialectica doctrinam, Franciſci primi litteris damnatam ac prohibitam fuiſſe: ipſi docendi munere interdictum. Hic vero, ô calumniatorem, ô ſycophantam, exclamat Franciſcus ille Ramaſter. Siccine piis Rami manibus imponitur? ubi acta? ubi lit-

teræ ? ubi teſtes ? Ubi teſtes ! ubi litteræ ! Reviviſce, reviviſce, Franciſce Rex, & ampliſſimum mihi teſtimonium tuis ipſe litteris redde. Teſtem hunc, opinor, Rami patronus non recuſabit. Audite igitur regem chriſtianiſſimum : audite ejus diploma, quod extat ad memoriam eruditorum omnium ſempiternam.

Franciſcus Dei gratia Franciæ Rex, omnibus hæc lecturis S. Inter varia noſtra ſtudia ...... nuper certiores facti de his turbis, quas filia noſtra academia Pariſienſi Petrus Ramus dederat. Et turbat Ramus in academia. *Deque controverſia inter eandem academiam, & Petrum Ramum.* En Ramo repugnat academia. Addit Rex delectos eſſe utrinque judices, peritos viros, qui de Rami doctrina libriſque cognoſcerent; qui *cenſuerunt* RAMUM TEMERE, ARROGANTER, ET IMPUDENTER FECISSE, *qui receptam apud omnes nationes logicæ artis rationem, quam ipſe præſertim non teneret, damnaſſet, & improbaſſet.* Quid de Ramo deinde dixi ? proſcriptam ejus a Franciſco doctrinam. Id ex Franciſci verbis intelligite; pergit enim : *Nos vero horum audita ſententia, re etiam cum aliis pleriſque viris doctiſſimis, qui apud nos erant, communicata, libros illos duos*, animadverſionum Ariſtotelicarum, & dialecticarum inſtitutionum, *damnandos cenſuimus & ſupprimendos; eoſque damnamus & ſupprimimus.* Quid ſupereſt niſi ut, quod addidi poſtremum, philoſophiæ profeſſione interdicat ? *Placet etiam*, inquit, *poſthac Ramo non licere libros illos interpretari ..... nec dialecticam, aliamve ullam philoſophiæ partem ulla ratione profiteri, niſi id a nobis eidem aliquando nominatim fuerit conceſſum : neve unquam talibus conviciis Ariſtotelem veteresque ſcriptores proba-*

tos, aut noſtram academiam hujuſve alumnos audeat inſectari En mihi Rex dictorum omnium teſtis ac fundus eſt.

Quod ſi veniam poſtea Ramus ab Henrico Rege impetravit: ſi regiæ profeſſionis munere per Lotharingum Cardinalem donatus eſt; decebat profecto, ut qui magiſterii gradu dejectus ob novitatis ſtudium fuerat, in eo ſe, integræ ac ſinceræ profeſſione doctrinæ, contineret. Quid autem in omni deinde diſciplinarum genere non tentavit? Quid non eſt de ipſius temeritate a viris eruditis ubique ſcriptum? Laudant oris dignitatem, facilitatem ſermonis, diſcendi aviditatem, felicitatem memoriæ, ingenii amœnitatem & induſtriam; hoc laudant: ſed novitatis ſtudium, turbulentas in omni doctrina ſcholas, & inſolentem diſciplinam, hoc conſpirantibus ſententiis, & prope vocibus, accuſant. Auguſte Thuane, quod tuum de Ramo judicium fuit? a *erroneam in philoſophicis doctrinam invexit, Ariſtotelem voce & ſcriptis importune oppugnans.* Quid tibi hominis Ramus videtur, Scævola Sammarthane? b *mirum quantos in tota Pariſienſi academia tumultus excitarit.* Gilberte Genebrarde, quis Ramus fuit? c *in linguas, artes, diſciplinas, theologiam denique ipſam furioſus.* Et expoſtulabis, quod grammaticæ, quod rethoricæ, quod philoſophiæ inverſum ordinem ab eo, & vitiatas leges dixerim? Evolve ipſius de grammatica libros; quid non abhorrens a communibus inſtitutis & uſitata diſciplina, non in græcæ tantum latinæque linguæ, ſed etiam in gallicæ noſtræ rudimentis occurret? Lege ſcholarum rhetoricarum libros octodecim; quæ in iis pagina

a *Hiſtor. lib. 52.* b *Elog. lib. 1.* c *Chronolog. l. 4.*

Inter eos Petrus Ramus, Veromanduus, turbulenta vita: & ſui in linguas, artes, diſciplinas, theologiam denique ipſam, furoris ſupplicium dedit.

Quid ais? Rami diſcipule, Rami patrone. Jamne calumniatus ſum? Si ita eſt, ante me Genebrardus, ante me Spondanus calumniatus eſt. Vadare ad tribunal tuum, par iſtud præſulum, illos hiſtoriarum principes, illa eccleſiæ lumina; priorum duces interpreteſque temporum; ſuorum magiſtros; oracula, & exempla conſequentium: horum de crimine cum cognoveris, meo me convinces. Immo quamvis calumniati iſti fuiſſent, tamen ex quo tantæ ſunt apud pios eruditoſque omnes auctoritatis; nulla in me calumniæ redundaret invidia, qui nihil eſſem niſi publica ex fide locutus. Teneris ergo calumniæ artifex, convictus es: fatere jam falſum a te mihi crimen objectum; & tam nullo conſilio, ut quibus verbis calumniæ mihi dicam impingis, iiſdem ipſe calumniator manifeſtarius tenearis. Sed quis ais? quid ſtatuis? calumniator eſt Genebrardus? atqui profeſſor erat regius: violas ordinem tuum, dum hac labe Genebrardum commaculas. Nihil affinxit? profligata ergo Rami cauſa eſt: ego te calumniæ convictum teneo. Quo te vertas his undique laqueis irretitus? Cur ergo te dicturum profeſſus es *adverſus novitatem calumniæ?* Hic enim calumnia, vel nulla, vel vetuſta eſt: a Genebrardo ſcilicet profecta, qui eadem qua Ramus ætate vixit. Hoc nimirum erat: aut perſuaſeras tibi per ſummam inſcitiam, aut perſuadere nobis per ſummam nequitiam volebas, a nemine Petrum Ramum eſſe, ante me niſi honoris cauſa nominatum; non fuiſſe in Bartholomæana cæde, hoc nomine obtruncatum, quod Calvini de grege pecus eſſet; non eſſe præcipitem e feneſtris actum

raptatum per vias, in Sequanam projectum.

At Carpentarii hoſtis infenſiſſimi invidia id factum eſt. Eſto: an ideo minus erat nocens, quia ejus crimen adverſarius prodidit? ſcio id vulgo jactari, aliquos etiam inſontes, in illa internecione, adverſariis religionis nomen falſo cauſantibus mactatos eſſe: ſed qui manifeſto Calvinianæ perfidiæ crimine tenebatur; hunc, quamvis id agente inimico, quamvis percuſſores redimente, inſontem mactatum non eſſe, hoc ſcio.

Vide autem, quam æquitate cauſæ meæ confidam. Volo hæc teſtimonia tam luculenta tam gravia, tam certa; infirma tamen, & levia videantur: volo prope irrita, volo nulla. Profecta ſint inimicis: minus ſint accurata, quæ in vaſto illo annalium, rerum omnium, omnium temporum oceano promiſcue deſcripta ſunt. En peculiarem hiſtoriam profero, vitam Petri Rami, conſcriptam a Theophilo Banoſio, qui familiaris ipſi atque intimus erat: libris ejuſdem Rami de Chriſtiana religione præfixam. Domeſticum illud teſtimonium eſt, minimeque ſuſpectum Quod enim ambigere de eo Ramaſter ille viſus eſt, quod ignotum hominis nomen eſſe dixit: cui demum probandas tam infelicis criticæ cavillationes putat? Frigidum illud & ineptum exceptionis genus eſt, quod a nemine antea cogitatum, ad rem tuam, deſperata cauſa, putide confictum eſt. Sed unde notus Banoſius? ex libello ſuo notus. Quam multi ſunt, quorum nulla ad nos niſi ex libris ſuis notitia pervenit? Quam multi, quorum nullum extat niſi exiguum & tenue opuſculum, & hoc Banoſiano minutius? Exerce criticam eandem in Genebrardi chronologiam & Spondani annales: dic ſuppoſititia hæc opera eſſe, quia contra rem tuam veniunt:

niunt: dic ſpurios eſſe libros omnes, qui Petrum Ramum apprime catholicum non faciunt. Si unus hoc ſcripſiſſet Banoſius, eſſet forte cur merito de illius fide dubitares. Nunc vero conſpiraſſe ipſum, & conjuraſſe furtim cum tot catholicis, tot hæreticis auctoribus, quos jam protuli, quos modo appellabo; ut Ramum ad Calvinianum hœdile invidiæ cauſa transferat: cui tandem hoc ſobrio perſuadebis?

Ecce igitur in Petri Rami vita Banoſius: *Ramus*, inquit, *obſervantiſſimus fuit pontificiæ religionis, in qua primum educatus fuit: ſed cum ex ſacris litteris verum cultum Dei deprehendit, cœpit pedetentim a tenebris papatus deficere, Chriſtianæ religionis ſolem aſſiduis precibus & votis exoptans...... Hujus zelo inflammatus, publica concione Pariſienſis ſchola monachos graviter admonuit, ut puriorem theologiam ex evangelio, relictis ſophiſtarum lacunis diſcerent. Idola gymnaſii Pralæi amoveri, & recondi juſſit, ne conſpicerentur. Miſſæ autem raro intererat* (nondum Calvinianæ fidei confeſſionem ediderat, quam anno tantum 1570. eſt amplexus.) *Interrogatus vero hac de re a viro graviſſimo, ſtrenue reſpondit: e toto vetere novoque teſtamento nihil quicquam à novis chriſtianis magis depravatum & corruptum eſſe, quam ſecundum mandatum legis, & cœnæ ſacramentum; ut homo in utraque per ſpeciem religionis in execrabilem idololatriam laberetur.* O flagitia! o ſacrilegia! Potuitne quidquam de Calvino ipſo loqui & explicare diſertius? ſed levia tamen ſunt iſta, præ hoc uno, quod cauſam omnem continet: Ecce ad libri marginem: *Ramus cœnam Domini Heydelbergæ primum celebrat.* In contextu vero: *Cum Heydelbergæ una apud D. Im-*

manuelem Tremellium anno ſeptuageſimo vivere-mus, Gallicis concionibus ſemper interfuit; & ſacra cœna, edita primum fidei ſua confeſſione, cum magno Dei timore & cultus divini reverentia, non ſemel communicavit. Teſtis oculatus loquitur.

Si tamen ridiculus ille de Banoſii nomine ſcrupulus adhuc te vexat: age, teſtimonium ejus expunge, per me licet: ſit auctoritatis apud te fideique nullius. Quid de Nicolao Nancelio dices? An ignotum viri nomen? an obſcura opera? Is, qui Rami diſcipulus, Rami familiaris, amanuenſis, atque ut ipſe profitetur, per annos prope viginti contubernalis fuerat, in Petri Rami vita, quam ſcripſit ipſe, & Rami diſcipulis dicavit: *Cum Galliam*, inquit, *univerſam duas potiſſimum in partes de religione, opinionibus diviſam variis, ac diſtractam cerneret: ea poſthabita, quam per reliquam vitam ſecutus erat, alteram arripuit & mordicus tenuit: qua ſui ſibi fati, ut propinqui, ſic miſerabilis & horrendi, intra paucos annos cauſam & neceſſitatem attulit.* omitto quæ de fractis imaginibus, & ejuſdemmodi aliis, Nancelius in eodem opere commemorat.

Sed quia Calvinianorum potiſſimum eſt ſuos dignoſcere; age, illius gentis proceres conſulamus: vultis Theodorum Bezam, illius ſectæ columen alterum, Calvinoque auctoritate ſupparem? Profitetur hic poſtulaſſe Ramum, ut docendi ſibi locus aliquis profeſſioniſque munus, in Genevenſi collegio concederetur. [a] Negat ſatis ipſius poſtulatis fieri poſſe; idque ſuis ad Ramum ipſum literis negat, eodem datis anno, quo Calvinianam iſte profeſſionem ediderat. Vultis ex Calvinianorum mar-

a Beza epiſt. 36.

tyrum hiſtoria ſciſcitari? b Hæc inter pugiles ſuos in *Pariſienſi fidelium perſecutione* cæſos, Petrum Ramum annumerat. Vultis confectos ab iis c Bartholomæanæ cædis commentarios adeamus? Illic Ramum eundem inter ſuos religionis cauſa mactatos collocant; cum deinde peculiari loco catholicos enumerent, quos per errorem tanta in ſtrage torrens idem involutos abripuit. Vultis acta evolvamus cætera, in quibus illas ſuorum cædes, tanquam veterum Chriſtiani nominis tyrannorum carnificinas, deſcribunt? ubique Petrus Ramus huic albo adſcriptus occurret. Ecce dum ſuum numerant pecus, dum eorum recenſionem inſtituunt, qui profeſſioni ſuæ nomen dederant, quorum deſcriptio tam accurata, tam ſedulo perfectus index, initusque numerus, in publicis ſervabatur tabulis, Ramum omnes gregalem ſuum agnoſcunt: Calvinianæ militiæ ſacramento ſecum obſtrictum, auctoratumque profitentur.

Hæc autem quamvis certa & indubitata, teſtimonia tamen ſunt, Auditores: teſtimonio majus quiddam, & gravius affero. Ipſum, quod ſupereſt, Ramum audite, loquentem etiamnum in libris quatuor *commentariorum de Chriſtiana religione:* quibus Calvini virus omne non furtim tegitur, ſed quaſi explicatur ad pompam, & ambitioſe oſtentatur.

Sed hic nimirum rurſus poſtulor injuriarum, qui libros illos flagitioſa novitate infames, & a Ramo conſcriptos affirmaverim. Hic rurſus criticum hominis acumen triumphat; qui non aliam ob cauſam hos a Ramo commentarios abjudicat,

b *Edita ann.* 1582. c *Memoires de l'Eſtat de France ſous Charles IX.*

quam quia ſuſceptæ cauſæ incommodant: eum ferme ad modum qui hæreticis noſtris, profeſſis illis, neque ſectam ſuam diſſimulantibus hæreticis, ſolennis eſt, ut quos e ſacris libris adverſari ſibi intellexerunt, hos continuo negent divinitus acceptos eſſe, clamantque ſacroſancto canone, ne ſibi noceant, expungendos. Libri, quos Petro Ramo huc uſque omnes adſcripſerant, quos ſub ejus nomine ſemper editos ſcimus, reclamante nemine, nemine dubitante, hodie Rami deſinent eſſe, quia judicio ſuo, ſic tanquam prætoris interdicto, Ramaſter quidam ita ſanxit. Bibliothecas Simlerus, & Draudius ediderunt, hoc eſt indices auctorum librorumque omnium, qui a primis retro ſæculis ad ætatem uſque ſuam pervenerant: hos *de Chriſtiana religione* libros an non Ramo uterque attribuit? a Enumerat Boiſſardus Rami opera omnia: num hujus eſt ab eo prætermiſſa mentio? Quid tu igitur ex direpta ejus bibliotheca perperam argutaris? perinde quaſi recuperari nihil ex naufragio, & in amicorum manus redire potuerit: quod feliciter factum eſſe Banoſius & Boiſſardus gratulantur. At editi ſunt poſt ejus obitum hi libri. Videne de Janſenii Auguſtino, quod poſthumum itidem eſt opus, eodem jure ambigere videaris. Quid i dei de ſupereſt? Hebraica ſunt, inquis, in his commentariis vocabula quædam: cum tamen Hebraice Ramus neſciret. Sed hoc ſuſpicaris; eum hebraice neſciiſſe. Quid ſi ego contra ſuſpicer, extremo vitæ tempore aliquid ab eo de hujus linguæ cognitione delibatum, qui hoſpite Immanuele Tremellio in Germania uteretur, viro Hebraicarum literarum illa ætate ſcientiſſimo? Sed noſtris uter-

a *Iconum Tom. 2.*

que divinationibus conjecturiſque parcamus: Hebraice ille neſcierit. Fecit, quod ſcriptoribus, oratoribuſque quotidianum eſt: ut ſi qua vocabula repererint Hebraicæ Græcæve linguæ, in quibus vis quædam ad ſignificandum major, aut uberior pleniorque ſit; quamvis imperiti ſint hujuſmodi linguarum, iis tamen vocibus, quas ſunt tanquam ex aliena ſupellectile mutuati, perinde atque propriis opibus uti non dubitent. Quid eſt igitur, quod argutus iſte librorum cenſor tam inanibus de cauſis judicium illud ſuum de hoc opere tam præfracte tulerit? cujus auctor, quamvis non eſſet ejus nomen inſcriptum, ſatis tamen ex ipſo ſtylo, & liberis in Ariſtotelem excurſionibus Ramus proderetur; & vel ſi deeſſent cætera, hoc tamen agnoſceretur uno, quod lectorem ad a *ſcholas ſuas phyſicas & metaphyſicas* remittat, quæ Rami opera eſſe, profeſſor, credo, non inficiabitur. Sed piget profecto tantum temporis in tam futilibus nugis perdere, quas jactare tam inſolenter quid aliud eſt, quam literis omnibus illudere?

In commentariis illis ſuis quem ſe Ramus tuus profiteatur, hic demum Ramuſcule, poſt tam infelicem velitationem intellige: Vide, ut qui Genevæ peſtiferæ doctrinæ magiſterium affectaverat, Genevenſem theologiam in libris ſuis peſtilens profeſſor, tot jam annis doceat.

Petre Rame quot ſacramenta ſunt? b *Duo tantum ſunt, baptiſmus, & cœna ...... & Chriſti auctoritas hic ſatis eſt, duo tantum ſacramenta in evangelio conſtituentis*. Quid de pœnitentia & confeſſione cenſes? c *Hæc confeſſio facta Deo*,

a *Commen. de relig. Chriſt. lib.* 1. *c.* 7. b *Lib.* 4. *c.* 4. c *Lib.* 3. *c.* 8.

vere Chriſtiana eſt ...... hac confeſſio non eſt maleſacti in aurem ſacerdotis expoſitio. Quid de Euchariſtiæ ſacramento ? a Totis capitibus duodecim, mera de hoc myſterio flagitia profert: *carnalem præſentiam* refutandam ſeptem capitibus ſuſcipit. *De Miſſa Pontificia* caput inſcribit unum, cujus ſacrilegia omnia recitanti mihi, audientibus vobis terrorem incuterent. b *Chriſtus*, inquit, *ſanctitas ipſa ſanctitatum* (ſummum pontificem illudit) *cœnam inſtituit: apoſtoli & eorum diſcipuli, papa paparum, ſancti ſanctorum, cœnam celebrarunt, papalem miſſam neſcierunt.* Quo nomine noſtram in auguſtiſſimum ſacramentum reverentiam, & religionem appellat ? *ἀρτολατρείαν*; c *Miſſa pontificia idololatriam: pontificios creophagos.* Quid de imaginum cultu cenſet ? d Multis demonſtrare contendit meram idololatriam eſſe. Quid de e *juſtificatione per fidem*, deque aliis Calvini ſcitis; & Genevenſibus oraculis commemorem ?

Ad tot portenta cohorreſcit animus, auditores: video commotos veſtros omnium ſenſus, auribus ipſis hæc monſtra reſpuere. Et erit tamen, qui ea deoſculetur ? Et quia hæc non veneramur, ſycophantæ dicendi ſumus ? Calumniator ſum: quid ita ? quia Rami flagitia, quia Calvini ſacrilegia non amplector. Jam compella Ramum tuum ſanctiſſimis nominibus, pium, religioſumque ſæpius inclama. Hæccine igitur tua pietas eſt ? hæc tua religio ? hanc tu profiteberis ? ad hanc diſcipulos tuos erudies ? Nam tui certe muneris eſt, quam pietatem plurimi facis, eam auditoribus tuis com-

a *Lib.* 4. b *Lib.* 4. c. 7. c *Lib.* 4. c. 18. d *Lib.* 2. c. 4. e *Lib.* 2. c. 1.

mendare? An eos ad Rameam illam inſtitues? illam, quam tam prolixis laudibus, tam amplis præconiis ad cælum extuliſti? hanc ſi probas, cur non profiteris, doceaſque? ſi abhorres, cur tantopere laudaſti? Exſpectamus, catholice profeſſor, quid de Calvino ſentias; cujus doctrina quid immanius in omni ſua profeſſione continet, quam quod illa Rami pia, & ſancta mens amplexa eſt? Qui Calvinianum illud ramale tanto ſtudio protegit, tam ſancte veneratur; cui oratio adverſus doctrinæ novitatem dicta, unguis fuit in ulcere; qui ea ſe petitum percuſſumque declaravit his, ſi qui larvati Calviniani eſſent, nonne merito eorum haræ accenſendus videretur? Cur Ramum tueris? an quia Calvinianus eſt? Cur novitatis patrocinium ſuſcipis? an quia Calviniana eſt? Tecum hoc ipſe ſtatue.

Interim quanquam afflictum jam & profligatum eſt numen illud tuum, Franciſce Ramaſter: tamen quia vix unquam ſe victam fatetur quorundam hominum procacitas; decretoria tandem eſt proferenda ſententia. Eritne autem poſt tormenta illa, quibus everſa calumnia eſt, gravius aliquid, quod reperiri poſſit? Erit, Auditores, erit. Cogita, Franciſce, quidquid cauſæ tuæ infeſtiſſimum eſſe poteſt: vincam tamen ipſa rei magnitudine cogitationes tuas Quid? telum exſpectas? fulmen jaculabor. Superſedendum cæteris teſtimoniis erat, auditores; ut hoc, quod ſupereſt, uno res tota conficeretur. Cætera per me licet recordatione veſtra excidant: id modo memineritis unum, Petri Rami nomen ad Tridentini concilii calcem, in auctorum prohibitorum indice reperiri. Cujus indicis quanti facienda ſit autoritas, & quam non levibus conjecturis, humaniſque judiciis penden-

da, ſatis intelligit, qui etiam novit Tridentini primum concilii decreto factum; deinde a Sixto V. & Clemente VIII. pontificibus, per eruditiſſimos ſapientiſſimoſque viros, quibus hæc mandata cura fuerat, auctum eſſe. Quem vero in eo locum Ramus obtinet? in prima claſſe, inter eos ſcriptores, quorum non liber tantum aliquis, ſed nomen ipſum hæreſis cauſa proſcriptum eſt: inter omnium auctores ipſos & parentes hæreſium; eadem in tribu, in qua Lutherus Calvinuſque cenſentur.

Hic vero veſtram, Auditores, fidem obſecro: adeone quenquam eſſe naviter impudentem, ut cum hæc ſciret, Ramum tamen tueri, ejus commendare pietatem, religionem prædicare ſit auſus? adeone ſtolidum, ut ſi ignoravit, libros non adiret, peritos non conſuleret ea de re, de qua ſibi dicendum intelligebat? Neſciebam. In hoc profeſſionis regię gradu? in tanta librorum multitudine? tanto eruditorum, quibus cum verſari potes, numero? tam recenti harum rerum memoria, quas ex antiquioribus ſæpe audire potuiſti? Audieram. an tu igitur inter eos nomen profiteris, qui Romanorum pontificum auctoritatem, (quorum juſſu, Tridentino indici, Petri Rami nomen adjectum eſt:) qui Tridentinam ipſam ſynodum ſacrilege cavillantur? Neſciebas; ſtoliditatis eſt, de re, quam ignores, dicere. Sciebas? impietatis eſt, prædicare flagitia, ſacrilegia conſecrare. Calumniæ fuit, calumniæ me arceſſere: calumniatorem eum pleno ore & tragicis clamoribus vocitare, qui nihil niſi publicis monumentis conſignatum, niſi publica ex fide, & ipſo ex veritatis ſinu gremioque protulerat: quique pauciora multo de Rami nequitia dixerat, quam quæ produci vere potuiſſent.

Hic

Hic mihi tu frigidas illas, & deriſas argumentationes inculca: eas virorum eruditorum teſtimoniis, catholicorum annalibus, hæreticorum commentariis, ipſius Rami confeſſioni, Tridentino denique indici oppone. Dic electum ab Henrico ſecundo regium profeſſorem: dic a Lotharingo cardinali, ab Audomaro Talæo, a viris integerrimis amatum: dic mathematicam ab eo profeſſionem conſtitutam de ſuo, & idoneis reditibus dotatam: ejus teſtamentum quam poteris clamoſiſſime recita. His ſubjectam intercalarem illam laciniam flebiliter decanta: *& erit hæreticus Ramus? & erit perduellis Ramus?* Scilicet Calvinianam hæreſim non eſt anno ſæculi ſui ſeptuageſimo profeſſus; quia quinquageſimo primo regiis ornatus beneficiis fuerat? Non tranſiit in Calvini caſtra, annis ante obitum duobus; quia in optimi cardinalis gratiam ante annos viginti fuerat admiſſus? Eum purgat ab hujus ſuſpicione ſceleris, magni Talæi amicitia; qui tanto ante quam eſſet admiſſum, fuerat ſummo academiæ deſiderio, immatura morte præreptus? Non eſt cum perduellibus cæſus; quia cum probis aliquandiu vixerat? Genevæ docendi munus non ambiit; quia Lutetiæ mathematicam profeſſionem prius inſtituerat? pia & catholica morte perfunctus eſt; quia teſtamentum conſcripſerat, annis ante obitum quatuor; quo teſtamento quingentas in ſtipendium mathematici profeſſoris annuas libellas legat, centenas avunculo ſuo, ſororis filio centenas; atque id genus alia; quæ quis honeſtiorum hominum & minime projectorum, Genevæ non faciat?

Hæc ſcilicet Rameæ cauſæ firmamenta, & præſidia ſunt: hæc fulguritum hominem expiant, convincunt annalium fidem, ſacris ipſis oraculis ſilen-

tium imperant. Quid ais, bonarum partium patrone? Idonea ſcilicet erat hæc cauſa, in qua te tam ambitioſe jactares? idonea illa religio, cui defendendæ, cui prædicandæ tantum tempus impenderes? Qua certe oratione fiet, ut laudes tuas deinceps boni omnes in opprobriorum loco numeraturi ſint; qua factum eſt, ut glorioſum mihi duxerim, eodem ore, me maledictis, Calvinianam peſtem laudibus onerari. Quanti redemptum voles, nunquam pro Ramo dixiſſe! quam altis tenebris ſemeſtrem illum partum damnatum cupies! Sed quid agas? jacta eſt alea. Quod ſupereſt, hoc in poſterum cave, ut ſis, & in diligendis cauſis prudentior, & pudentior in tractandis.

Verum quia non Rami unius, ſed ordinis ſui cauſam agere ſe profeſſus eſt orator: quia per Rami latus profeſſores a me cæteros peti, & ex unius probro, factam univerſis contumeliam profeſſus eſt: faciam, ut intelligatis deinceps, non minus hebetem eum in defendendo profeſſorum ordine, quam in vindicando Ramo fuiſſe. Equidem ſum hominis judicium miratus, qui cauſas ſimul duas agendas ſuſcepit: quarum altera pejor erat, quam ut defendi poſſet; altera melior, quam ut defendi deberet. Nam & turpior eſt Ramus, quam ut vir ei probus faveat; & integrior eſt atque laudatior regiorum profeſſorum ordo, quam ut defenſione indigeat. Cedo enim, a quo, & qua tandem injuria eſt ordo ille violatus? Ramum, inquit, dum notaſti; univerſus a te ordo eadem macula notatus eſt. Novum crimen, Auditores; nova, & inſolens, & a nemine præterquam a profeſſore iſto lata lex: ut ſi cujus eſt publicum manifeſtumque ſcelus, & monumentis omnibus conteſtatum; commemorari a quoquam, itra ordi-

nis, cui quondam addictus ille fuerat, dedecus non poſſit. Quod ſi ita eſt: quæ tandem uſurpari verbis, & in exemplum adduci flagitia poterunt? Cum enim ſcelerum auctores omnium, aut in ordine aliquo & ſodalitate vixerint, aut cognationis, quod arctius eſt vinculum, & affinitatis neceſſitudine quadam cum aliis ſint nexuque conjuncti: erunt ſemper, qui læſos ſe ac violatos expoſtulent, ſi qua crimina & dedecora ſermone perſtringantur. Quo quid dici & a ratione abhorrentius, & utilitati vitæ, conformandiſque hominum moribus magis contrarium infeſtumque poſſit?

An læſos ſe Auguſtiniani patres expoſtulant, cum hæreticus, cum ſcopulus religionis, cum eccleſiæ pernicies Lutherus appellatur? An conqueſtus eſt unquam Noviodunenſis clerus, cum Joannem Calvinum, deſertorem Chriſtianæ religionis, prędonem ſacrorum, Europæ procellam ac turbinem appellari audiit? An factam ſibi injuriam clamat illuſtriſſimus Epiſcoporum ordo; cum Jacobus Spifamius, cum Andreas Duditius, cum Antonius Dedominis, inter hoſtes Chriſtiani nominis, & perfidos ab eccleſiæ ſignis transfugas numerantur? An indignatur eminentiſſimus cardinalium ſenatus, cum Odonem Caſtilionæum audit Calvinianis partibus ſtuduiſſe? Nullus antehac ex iis ordinibus, commemorari ſuorum malefacta vetuit; neque, ſi qua iis labes inhæſerat, ea ſe putat aſperſum, dum quotidianis ſermonibus renarratur.

Publici juris exempla iſta ſunt: proſtant erudiendæ poſteritati: periit ordini ſuo eorum honos, cum iis ipſis per ſcelera ſua periit. Non jam ex collegio vel ſodalitate ulla, ſed ex annalium gente ſunt. Jus habet in eos ſuum hiſtoria: eoſque nobis ad præceptionum, ad tragœdiarum, ad ſermonum om-

nium argumenta commodat. Unus legitimam hanc poſſeſſionem, annalibus, hiſtoriis, memoriæ noſtræ præripere tentat hodiernus orator; & quia togæ ſuę umbra Petrum Ramum protegit, tutiorem vult eſſe, quam ſi antiſtitum infulis, Romanorumque procerum purpura tegeretur.

At certe quidquid uſquam eſt cordatorum hominum, hoc impenſius ſolet improbitatem aliquam damnare & abominari flagitia, cum ab uno quopiam ex ordine aut collegio ſuo profecta ſunt. Quo videtur labes illa propior, atque conjunctior, hoc eam vehementius refugiunt & aſpernantur; ne qua poſſint ſuſpicione communionis afflari; atque ut de univerſi ſanitate corporis & integritate conſtet, ſi quod in eo putridum infectumque membrum fuerit, longe a ſe cauſaque ſua disjungunt. Tu perditi hominis cauſam cum ordinis tui cauſa implicatam vis eſſe: & qui ab illa ſocietate, omnique honoris commercio, flagitiis ſuis avulſus eſt; hunc quaſi poſtliminio revocatum, eandem rurſus in ſodalitatem intrudis, quæ niſi funeſtari ab illo non poteſt. Profeſſorum ordinem violavi: quid ita? quia, ſi ſuperis placet, Ramum, Ramum eſſe dixi. Ego vero tuis a te factam injuriam contendo, dum ejus ſuſcepto patrocinio te ordinis tui vindicem profeſſus es.

Nam ſi quis fuiſſet in illo cœtu tam peregrinus, qui te probum, & ſincerum oratorem putaſſet, non calumniatorem profeſſum, non famoſiſſimæ maledicentiæ declamatorem; is cum te dicentem audiiſſet, quid exiſtimaſſet aliud, quam te collegarum tuorum nomine, Ramo patrocinari, ordinem tuum Ramo univerſum fovere? Hanc iis notam, ſi non eſſet eorum perſpecta integritas & innocentia, inurebas. Eos accuſabas, dum hanc

eorum defenſionem inſtitueres, ipſi ſe adverſus calumniam tuam una probitatis ſuæ fama defendebant. Quid eſt quod ut Rami cauſam adjuves, partem in eos invidiæ atque offenſionis exoneras? Norant hominis mores, doctrinam norant; deprecabantur communionem nominis atque famæ: tu eorum famam cum Rami honore atque nomine vis eſſe conjunctam: perinde quaſi nihil habeant per ſeſe veræ & ſinceræ laudis, niſi ementitam & adulterinam, ex falſa perſonati Rami probitate mutuentur.

Hoc iterum atque iterum aſſevero. Nemo majorem ordini tuo maculam inuſſit, quam quæ hodie oratione tua illata eſt. Tu collegas tuos, viros integerrimos, quorum par eſt doctrinæ pietatiſque laus, Rameæ doctrinæ fautores facias? Dic eos Luthero, dic Calvino, dic cæteris hæretici nominis doctoribus ſuffragari: quid fœdius in eos confinges, quam cum huic Calviniano nepoti ſtudere, hujus fovere doctrinam, perſuadere conatus es?

At eorum intereſt, Rami collegæ quondam ſui honorem, per fas, per nefas tueri; Profeſſor regius, opinor, Carpentarius erat, quo quem hoſtem Ramus capitaliorem habuit? Extant plena vehementiſſimis in Ramum orationibus, ejus volumina, quibus pernicioſam illius doctrinam exagitat: ratus ſui, collegarumque honoris intereſſe, ne tam exitialibus doctrinis favere cenſerentur. Profeſſor item regius Genebrardus fuit, quo viro quid varietate doctrinæ inſtructius? quid vitæ ſanctimonia probatius fuit? Quod de Rami doctrina judicium aulerit, audiiſtis. Quid autem agebat Genebrardus? quid cogitabat? ſic ordinis ſui honori profeſſor regius conſulebat? Suo ſuorumque honori bene conſultum vir ſapientiſſimus duxit, ſi omnem a ſodalitate ſua erroris & nequitiæ ſuſpicionem

removeret. Theologus enim, & Pariſienſis theologus Senebrardus fuit; qua in facultate quod nullum ſit gradum adeptus, artiumque magiſterio contentus ſit noſter ille Rami defenſor, qui tamen inhiat ad honores illos academicos: ſatis hoc prodit indicio, quam ſit theologicarum literarum expers; & quanto æquius in Genebrardi judicio, quam in ſuo, acquieſcere de Petri Rami theologia debeat. Cui viro ſi maledixeris Franciſce, quod tam ſevero judicio Ramum affligat: erit hoc ſcilicet ordini tuo glorioſum, te profeſſorum regiorum alteri favere, quia Calvinianus fuit; alteri, quia eſt eximie catholicus, adverſari. Eo patrocinium tuum recidet, ut ordinem tuum, dum his defendis artibus, criminetis.

Vide autem quam infelix patronus hodie fueris, non tantum in illa ordinis tui cauſa, ſed etiam in tota declamatione; qua lites plurimas magnus ardelio turbulenter moviſti; omnes, dum adverſus teipſum agis, amiſiſti? Nam ut ſpecimen tibi aliquod tuarum in te incurſionum exhibeam: pro Pariſienſi academia, multa, ut mihi quidem relatum eſt, dixiſti: quo conſilio? nonne videbas te pro adverſario ipſius Ramo dicere? Ramum defendis? contra Pariſienſem academiam facis. Academiam tueris? adverſaris Ramo: ejus doctrinam damnas: mihi allaboras. Quo te vertas? qui ſtupor ille tuus, qui furor eſt? quæ unquam oratio vehementius ſecum ipſa conflixit? Age vero, pro Janſenianis an commodius dixiſti, & felicius? quorum hominum cauſam quod tueri te profeſſus es, quis valde miretur, quando Calvinianam defendiſti? ſed hoc miror, plus ei te defenſione tua, quam omnes antehac adverſarios, omni virtute atque induſtria, nocuiſſe. Nam quæ tanta tua vel perfidia, vel inconſiderantia fuit, ut quod ad hanc diem illi tacuerant, quod ſi

objectum ab inimico fuiſſet, acerrime refutaſſent, id publice profitereris; eos oratione illa, quam adverſus doctrinæ novitatem habui, offenſos, ea ſe petitos arbitrari. Quæ de novarum contumacia & perduellione ſectarum, de Calvinianæ factionis primordiis, de purioris theologiæ & vitæ ſanctiori ementita profeſſione, de clandeſtinis conventibuss de conjurationibus in rempublicam, de civilium bellorum facibus a me dicta ſunt; iis ſe deſignari quiſquam, niſi male ſibi conſcius, crederet? ſive autem eorum effers arcana, ſive falſa quædam comminiſceris; vide, quam tua ſit in eos injurioſa declamatio, & quam ſubita converſione accuſator ex patrono ſis factus. Sua ipſis exprobrantur crimina, quoties Calviniana narrantur? minatur iis ſupplicia, quiſquis petitas ab hæreticis pœnas commemorat? Quis hoc ante te dixerat? quis tantum de illa hominum gente ſuſpicabatur, quantum tu fateris, non adactus, non impulſus, ne rogatus quidem; ſed voluntarius, an teſtis? an delator? Eſt autem, cur vobis ab eo timeatis, auditores, qui ſe doctrinæ iſtius fautorem tam audacter, & inverecunde profeſſus eſt. Ego ſi quando hominis alicujus orationibus intereſſem, qui Calvinianæ cauſæ patronus fuiſſet, quem pupugiſſet oratio adverſus doctrinæ novitatem habita; id caverem primum, & ante omnia unum caverem; ne ſuis ille ſermonibus, vel ex Calvino, vel ſimili quodam ex fonte, aliquid peſtiferæ novitatis aſpergeret.

Id enim profecto, id oratione ſua quærebat, ut factum novitati convicium ulciſceretur: id deinde alterum; ut fœtum maledictis ſtomachum in nos effunderet. Rami cauſa, non propoſitum, ſed occaſio fuit. Aditum hunc ſibi patere commodum duxit ad calumniandum liberius, & in omni probro-

rum genere bacchandum. Quid enim maledicentiæ (vos, qui aderatis, teſtor) prætermiſit? Quæ infarta non ſunt, & intruſa mendacia? antiqua, recentia, ſua, aliena; omnia effudit. Tanti erat, dum publicam illam maledicendi profeſſionem exerceret. Sed erant illa viri minime mali mendacia; adeo ſtolide mentiebatur: ut mirum ſit, qui tandiu ſe in arte illa exercuit, tam parum profeciſſe. Quæ quidem omnia retexere, neque fas in tanta multitudine, neque porro neceſſe eſt, cum ipſa ſua inanitate vaneſcant. Humiliora ſunt quædam, & indigna gravitate orationis: turpiora nonnulla, & moleſta verecundis auribus, quæ tamen ipſe quam finxit turpiter, tam parum pudenter in honeſtorum hominum cœtu explicuit.

Vide autem, Franciſce, quanto æquiores in te humanioreſque ſimus. De te moribuſque tuis multa nobis, ut minimum dicam, parum commoda, narrata ſunt: nunquam vulgavimus. Multis ex academia ſodalibus tuis inviſum te indoles iſta reddit, de qua in præſenti nihil exprobro. Lenimus illas odiorum aſperitates, ſuademus ut ſi quid in te importunius eſt, placide ferant. Vitæ tuæ acta ſubminiſtrarunt nobis alii: ſpectabant ad ignominiam tuam edenda: non facimus. Hodie te dicentem diſcipuli noſtri riſerunt. Veniebant ad me identidem, certis quibuſdam intervallis temporum, qui de oratione tua renuntiarent: aiebantque minime politam eſſe; minime latinam: incondite atque temere nullis grammaticæ, nullis rhetoricæ legibus ferri; nullo vocum delectu; nulla concinnitate numerorum; modo nimium abjectam; modo plus æquo tumentem: ubique laciniosam: hoc ad nos pueri ipſi referebant: eos ego voce una compeſcebam: profeſſor eſt regius. Quid aliud amici in

cauſa fieri a nobis dicique potuiſſet? Quam hoc iniquum eſt, dum honori tuo tam ſtudioſe conſulimus, te in noſtrum hoſtiliter incurrere!

At nobis, nominique noſtro ſi parcendum non duxiſti; tibi certe parcere ipſe debueras. Quem putas eſſe hominum ſenſum, dum te convicia teterrimis faucibus in nos evomentem audiunt? Quid te aſſequi declamatione tua putas? ut exclament? o ſceleratos Jeſuitas! Tuæ ſunt vel ineptiores, vel atrociores calumniæ. Hic, ſi neſcis, illorum ſenſus, hæc verba ſunt: o fæcem! o ſordes! o maledicum! o ingratum! qui eos a quibus eſt olim, in humiliore fortuna, beneficiis affectus, tam indigne adhibet. Obſervant nunquam eſſe, in academica ulla concione, ab ullo qui liberaliter educatus eſſet, nunquam niſi ab hominibus viliſſimis, & honeſtatis omnis expertibus, contumelioſum illud in nos dicendi genus uſurpatum. Quod dum a te frequentatum vident, cogita quæ de te judicia ſint; quæ nomini tuo labes adhæreſcat.

Vide qui ſis, Franciſce: non jam es ex illo grege tenuiorum hominum, cui jus eſt quoddam in omnia ſcurrarum, & balatronum convicia, & furere impune obtrectando licet: conditionem olim tuam iſta fortaſſe decuiſſent. Nunc vero, cum regius Profeſſor, cum vir ſpectabilis factus es: cur non totus elegans evadis? totus honeſtus? totus alius, atque olim fuiſti? Cur illam maledictorum fæcem ex vetere tua ſupellectile ſervaſti? Spes eſt autem, ſpes eſt, Auditores, brevi excutiendum ab eo, quidquid ex primis illis moribus concretum adhuc inolitumque ſupereſt. Et in dies certe fit elegantior: mitigatur ſenſim, & expolitur hominis ingenium: dediſcit vernilem illam licentiam. Dediſcit, inquam; nam qui nuper inter altaria, dum eſſet Re-

ctor ampliſſimus, nulli convicio parcebat; rabioſum eum hodie oportebat in auditorio ſuo videri, niſi ponere aliquid de priſtina indole cœpiſſet: hoc autem audio atrociorem eum illic non fuiſſe, quam inter aras fuerat. Pars hæc humanitatis eſt, non fuiſſe inhumaniorem.

Ex quo fructum hunc hodie cepit, quod temperaverim ipſe mihi, & remiſſe cum eo leniterque agendum ſtatuerim. Audiſtis, quam non iracunda, quam placabilis, quam benigna oratio mea fuerit. Et vereor quidem, ne in illa Calvinianæ doctrinæ cauſa, quam vehementius ſolent moderatiſſimi quique tractare, mollior ego, indulgentiorque ſim viſus. Sed nimirum lenitate videri malim, quam aſperitate peccaſſe.

AD FRANCISCVM DVMONSTIER.

ORATIONEM tuam, ut audio, recognoſcis impigre. & ut in lucem ornatior prodeat, diurnis nocturniſque laboribus expolis: cupide illam exſpecto. Fama maledictis inſignioribus, amicorum hortatu, repurgas: in anteceſſum gratulor. De Rami vita, quod ante factum oportuerat, conſuluntur antiquarii, omnes bibliothecarum foruli veſtigantur: diligentiam hanc, quamvis ſera eſt, laudo. Unum, quo tuis amicorumque laboribus parcas, moneo; ne inſudes iis corrogandis teſtimoniis, quibus doceas, catholicum aliquando Ramum fuiſſe; hoc enim non ambigimus: ſed ea conquiras una, quæ talem eum convincant fuiſſe poſt annum ſuperioris ſæculi ſeptuageſimum; quo tantum anno calvinianam profeſſionem edidit. Luculentorum hujuſmodi teſtimoniorum ſegetem ubi repereris, Romam mitte: ut eorum ex fide Tridentinus index emendetur. Vale.

EPISTOLÆ.

LUDOVICO XIV.

REGI CHRISTIANISSIMO.

Nuncupatoria Conciliorum.

SANCTUM Majeſtati tuæ munus offero, REX CHRISTIANISSIME, conciliorum canones, & decreta pontificum: quorum partem cum obtuliſſet olim Carolo Magno Hadrianus pontifex, dignum Romana, dignum Gallica majeſtate donum dediſſe viſus eſt. Regi tradebat Dei vicarius, quod regum fidei Deus ipſe commiſit. Cum enim tutores eos curandis populorum bonis inſtituerit: religionem certe, qua nihil eſt in omni bonorum genere præſtantius, ipſorum tutelæ ante omnia commendavit. Hinc adeo ſumma iis divinitus delata poteſtas eſt, qua & reipublicæ cum imperio præeſſent, & eſſent eccleſiæ præſidio; ut eadem autoritate & jura ſua ſancirent, & divina tuerentur; haberetque rex cæleſtis, quod ait Sixtus III. pontifex, terrarum reges ſuo numini fœderatos.

Quæ cum ſit chriſtianorum regum communis, & Chriſtianiſſimorum præcipua laus; eamque ſuum ipſis nomen, tot pro meritis conceſſum, tot immortalibus conſecratum monumentis, ſempiternam afferat: tum ita proprie tua eſt, Rex auguſtiſſime, ut Chriſtianiſſimus ſi hereditario jure non diceceris, dici merito tuo potuiſſes. Quam-

vis enim ſuperiorum principum titulos heroicarum in te virtutum conſenſus & conſpiratio collegerit: vincit tamen cæteros hic unus, non eo tantum quod a ſanctitate ſua præſtantior ſit, ſed etiam quod religione tua commendatior; vitamque tuam, cujus ſibi partem decerpunt ſinguli; omnem unus contineat.

Nam quod Magnanimus, quod invictus, quod victor diceris, dos eſt bellorum propria; quod ſapiens, conſiliorum; quod magnificus, ſplendoris illius quem in palatio, in publicis operibus, in omni apparatu, regium explicas Te Pacificum ut vocemus, facit Galliæ tranquillitas; ut patriæ parentem, felicitas publica; ut Auguſtum, oris illa majeſtas, quantam nemo ante viderat tanta humanitate conjunctam. Te Clementem condonatæ injuriæ, te moderatum victoriæ medio in curſu repreſſæ, te Legiſlatorem emendata jura, te juſtum non reddita tantum judicia, ſed etiam data beneficia loquuntur.

Quæ virtutes cum in diverſa regni munera ſparſæ ſint, & ſuis quæque officiis definitæ: ubique, Rex maxime, Chriſtianiſſimus es: titulos omnes tuos hic unus amplectitur, in omnes, veluti mens quædam, infuſus eſt; & quanquam illuſtrior, eos tamen adeo non obſcurat, ut ipſis magna fiat ab ejus ſplendore claritatis acceſſio. Vere enim Magnanimum te probaſti, cum in Hungaria eccleſiæ injurias armis ultus es; vere Clementem, cum tuas ob eccleſiæ reverentiam condonaſti. Neque vero aut ſapientior unquam videberis, quam cum gladiatorum furorem, qui tot ſæculis, tot tentatis artibus, tanta vi adhibita, refrenari non potuerat, non tam edictorum ſeveritate, quam perſuaſione animorum, penitus compreſſiſti; aut

juſtior, quam cum juſſu tuo everſa impietatis delubra ſunt, & vera religio magno bonorum omnium plauſu ſæpius aſſerta; aut titulis cæteris clarior, quid enim hic replicem omnes? quam cum eos religione conſecraſti.

Hanc enim cum in dictis etiam factiſque tuis quotidianis elucere palatini tui prædicent: tum agnoſcunt, quos rebus gerendis adhibes, in eam te perpetuo, tanquam in regiæ adminiſtrationis normam, eſſe intentum; eam, legum tuarum mentem eſſe, & conſiliorum omnium moderatricem.

Quapropter merito tibi, Chriſtianiſſime Rex, hunc religionis theſaurum dicamus; illa concilia, quæ perinde Gregorius Magnus ut evangelia venerabatur; illos antiſtitum conventus, quorum judicium eodem ac divinum loco habendum primus Chriſtianorum principum cenſuit; quorum arbitrio cauſas ſuas Deus ipſe, quoties habuit adverſarios, permiſit: nec veremur ut hæc volumina benigne accipias, quorum argumento debere te non patrocinium tantum, ſed honorem etiam obſervantiamque, profiteris.

Hæ ſunt, Rex maxime, principibus æque ac populis poſitæ leges, eoque magis principibus, quod ſummo legiſlatori propius ſubjecti, per eas duplicis officii formam acceperint, parendi Deo, populis imperandi; ſic ut nunquam imperent felicius, quam cum religioſius parent. Privatorum quippe ſortes varie diſpenſat Deus: regnorum fata ex religione ſuſpenſa ſunt. Perinde enim ut illa colitur, ita ſtare imperia, vel prolabi ſolent ejus nutibus, qui ea non condidit, niſi ut in iis ipſe regnaret. Et intereſt alioqui principum, eum ſumme dominari, cujus poteſtate fundatam eſſe ſuam

agnoſcunt. Nam quæ vicaria ſuperſit autoritas, ſi ſuprema tollatur?

Hoc ſcilicet intelligebant majores illi tui, Rex Chriſtianiſſime, quorum ſummæ religioni par regnandi felicitas & gloria divino munere conceſſa, & ad poſteros deinde tranſmiſſa reges, per te tam admirabiliter aucta eſt. Eorum enim pietatis monumenta cum ſint dicatæ Deo baſilicæ, defenſa & locupletata eccleſia, ejus hoſtes bellis domiti, ejus pontifices in Petri ſedem reſtituti: tum præſertim convocatæ ſynodi, quibus ipſi ſæpe intererant, & aſſerta ſacris canonibus autoritas: qui cum a Leone I. pontifice dicantur manſuræ uſque in finem ſæculi leges, Gallico maxime regno conveniunt, cui perennitatem omnia pollicentur.

Tum ſancta, Princeps optime, regum edicta ſunt, cum ab his ſanctitatis fontibus manant: tum vera Conſtantini magnifica illa vox, Deum per pectora principum jura ſua dictare. Quod quia per te Deus tum præſtitit, cum leges tuliſti ejus oracula referentes; quia primum in reſpub. religioni locum eſſe vis, atque ita ſacerdotium & imperium temperari, ut ſit utrumque alterius majeſtate auguſtum, alterius ſanctitate venerandum: eo fit, ut te tui Conſtantinum alterum habeant, quem æquales ſui communem epiſcopum, uſurpato liberius vocabulo, nuncuparunt; te non minorem Theodoſio, cui animum non tantum regium, ſed etiam ſacerdotalem, Leo Magnus gratulatus eſt; te Marciano majorem, cui quartæ ſynodi Patres, ſacerdoti, imperatori, acclamarunt.

Facis hac tua pietate, Regum maxime, ut regnet in Gallia Deus, qui te principem delegit, tanquam idoneum, per quem tot populis impera-

ret. Propagabit ille viciſſim regnum tuum, ut ſuum amplificet: atque ut diutius regnet, te ſoſpitem diutiſſime tuebitur. Immo, ſi augurari fas eſt, æternum Deus in Gallia dominabitur, quia ſapientiæ tuæ ac religionis exemplis illam perpetuo reges. Habebunt te ſcilicet nepotes ſpecimen immortale regnandi: & Chriſtianiſſimam gentem non tam reges in poſterum ſui, quam æterna virtutum tuarum magiſteria gubernabunt. Lutetiæ Pariſiorum, XIV. Kal. April. M. DC. LXXII.

ARMANDO BORBONIO PRINCIPI DE CONTY.

Nuncupatoria regii panegyrici I.

QUANTO mihi decori fuit panegyricum hunc te præſente dicere, PRINCEPS SERENISSIME; tantum orationi meæ ſplendoris indidem ornamentique deceſſit. Glorioſum fuit oratori, coram erudito principe verba facere, cujus auribus quidquid probatur, faſtidioſos oculos minus deinde formidat: iniquius orationi, detractam præſentia tua partem eam eſſe, quæ decora tua propius ſpectabat; teque auditorem ſedere, dum argumentum eſſe debuiſſes. Dicere de hujus imperii miraculis non poterat, quin eorum pars magna occurreres. Venerat plena tuo nomine: ut toties id perſuaderet, quod ſuſceperat; quoties Armandum appellaret: & dum Anguiani ducis quot facta, tot prodigia percenſeret; reſpectabat continuo germanum ad miraculum, tuaſque ad laudes properabat: veluti orba foret lumine altero, niſi a te quoque ſplenderet. Sed illam oculus tuus perpetuo re-

preſſit; vix imperioſus unquam, niſi cum de te ſilentium indicit. Tot premendis miraculis modeſtiæ miraculum impendiſti. Eluxerunt tamen glorioſius novi acceſſione prodigii: neque ſplendoris quidquam ademit huic orationi pudor tuus, quod uberius in te non refuderit. Tanti mihi fuit tuis de laudibus tacere: quas ſilens ipſe, ſilentiumque imperans, admirabilius attolleres. Utcunque igitur mutilus, & tam illuſtri parte diminutus, iterum ſe tibi ſiſtere audet panegyricus noſter, Princeps ſereniſſime: ſuperbus etiamnum eo vulnere, quo tua virtus inclaruerit. Quod ipſe decerpſiſti non reſtituo. Sacris rebus admiſcere quidpiam religio eſt. Talem offero, qualem præſentia tua conſecraſti. Lutetiæ Pariſiorum Kal. Decemb. CIↃ. IↃC. XLV.

JULIO CARDINALI MAZARINO.

Nuncupatoria regii panegyrici II.

ADITUM ad Regem laudes regiæ quærunt CARDINALIS EMINENTISSIME: neque dubito, quin per te facile impetrent; cum intelligam, quo & illæ apud te, & tu apud Regem loco ſis. Eas ſi offeres pacifico Principi, nihil offeres non tuum: eoque tuum glorioſius; quod ſingulari fide ac prudentia feciſti, ut totum Regis eſſet. Etenim in multis tuis præclariſque virtutibus, hæc mihi merito maxima viſa eſt: quod ita rem adminiſtraſti, ut eam Ludovicus gereret; ita domeſtica pax a te illius auſpiciis, ab illo tuis conſiliis reſtituta eſt, ut omnis ad eum tam illuſtris facti gloria in ſolidum pertineret. Fuere priſcis tempo-

temporibus, qui decus captarent ex inertia regum, a quibus erant ad imperii procurationem adſciti: deque vilitate principis, adminiſtri ſæpe dignitas crevit. Tu cum Regis educationi præfueris, cum ejus compoſueris mores, ingeniumque finxeris: majorem non potes, quam ex ejus prudentia, fortitudine, humanitate, virtutibus cæteris, gloriam referre. Laus tua ſumma eſt, laudatiſſimus princeps: tuaque cenſere potes, non ea tantum, quorum is auctorem te actoremque unum eſſe voluit; ſed etiam quæ ipſe per ſeſe, nullius admonitu conſilioque ſuſcepit. Ita quamvis propriis abundes laudibus: eris tamen regiarum præconiis multo, quam tuarum, ornatior. Has laudes, quas mereri per te Rex voluit, patere, Cardinalis eminentiſſime, eidem per te a nobis offerri: quas ſi reſpuet modeſtiſſimus Princeps, cum ſuas agnoſcet; amabit profecto, cum tuas eſſe quoque meminerit. Tu ne ſic eas averſare, quod tuæ ſint; ut non eaſdem, quia ſunt regiæ, libentiſſime amplectaris. Vale. Lutetiæ Pariſiorum XI. Kal. Jan. CIƆ. IƆC. LIII

FRANCISCO HOSPITALIO,

FRANCIÆ POLEMARCHO, PARISIORUM GUBERNATORI, &c.

Nuncupatoria orationis adverſus novitatem doctrinæ.

QUæ te dies doctiſſimæ terrarum urbi præfecit, VIR ILLUSTRISSIME; eadem doctrinas omnes clientes effecit tuas: ſed honc-

M

rem tibi ſi nullæ deferrent artes, præcipuum tamen opella hæc noſtra deberet. Fuit enim hæc vel ipſius felicitas, vel humanitas tua: ut te, vix orta, patronum; &, quod minime ambiiſſet, laudatorem invenerit. Nimirum quæ grata eſſe tibi a dicentis arte non poterat, argumento ipſo placuit. De doctrina dicebam, quæ tibi domeſtica ſemper, atque inter arma ipſa contubernalis fuit: pugnabam pro antiquitate, quam & cognitione comprehenſam habes, & moribus inſigniter expreſſam: diſputabam de republica, in qua eum obtines locum, quem tui, pro ejus tuenda & augenda dignitate, labores, pugnæ, victoriæ meruerunt. Ita fiebat, ut cum libens dicentem audires, pondus orationi noſtræ tui nutus adderent; quæ nec arbitrum magis idoneum nanciſci, nec honeſtiorem deſiderare fautorem poterat. Exire itaque geſtit in tuo nomine, quo veluti paterno gloriatur; ex quo tam benigne ſuſcepiſſe viſus es, & quaſi adoptaſſe naſcentem. Neque vero tenuitatem excuſat: aut, qui minus ſe tibi conſecret, exiguitate ſua deterretur; quæ quod minima eſt, non ideo tibi minimum debet. Suum enim oceano vectigal non famoſi tantum amnes, ſed etiam rivuli & exiles aquulæ penſitant. Adiri te ab ea non gravate feres, quam dum ipſe tam comiter adiiſti prior, beneficio provocaſti. Utinam autem, quantum nobis aditu illo tuo decus attuliſti; tantum hæc tibi, & tam illuſtre obſervantiæ noſtræ monimentum referret! Sed cum impar ſit huic diſſolvendo nomini, nedum expediendis aliis, quibus tibi ſumus obſtricti, haud paullo majoribus; quod poteſt unum, debiti profeſſione fungetur. Vale. Lutetiæ Pariſiorum Kal. Janu. CIↃ.IↃC.LII.

LUDOVICO XIV.
REGI CHRISTIANISSIMO.
Nuncupatoria theſeon philoſophicarum.
Ex perſona CAROLI D'ORLEANS, *Comitis a ſancto paulo.*

ADitum ad te, REX CHRISTIANISSIME, per ſapientiam quæro; cujus idcirco ſtudia ſum amplexus, ut ea me ad parendum erudiret, a qua tu imperare didiceras. Nihil apud te mihi verendum ea auſpice, quam ita rerum gerendarum adminiſtram adhibes, ut & magiſtra ſit: nihilque niſi ex ejus arbitrio decernas. Facit enim illa, quod ii ſolebant adminiſtri, quorum ſe in tutelam Reges aliqui tradebant: dictat quid loquaris, ſuggerit quid imperes, informat conſilia, præit verba ipſa. Hoc uno ab imperioſis illis tutoribus adminiſtra tua differt, quod nihil te inſcio moliatur. Quanquam autem perpetua tibi comes aſſiſtit, tamen in Gallias omnes longe lateque diffuſa eſt: atque uti Sol nec cælum deſerit, & in terras omnes ſpargitur; ſic illa, dum in regia tecum eſt, ſimul in provinciis cernitur tota: ut per ipſam ubique ſis præſens; neque, ut ſæpe fit, regnum rege majus eſſe videatur. Immo videris ipſe regno tuo major: & cum latius regnare, ſi velis, poſſis; animum potentiamque Galliæ finibus ampliorem, iis ultro coërces. Dum autem tua illa, ſive comes, ſive moderatrix ſapientia, res inter ſe prius disjunctiſſimas conciliat: ſummam æquitatem cum ſumma poteſtate, populi felicitatem cum auctoritate principis, ſacerdotii ſanctitatem cum imperii majeſtate, cum bellicis expeditionibus pacis & otii fructum; dum eam laudibus, admiratio-

re, amoribus, votis, orbis terrarum proſequitur: tibi, Rex ſapientiſſime, laudes illæ, illæ admirationes, amores, vota tribuuntur. Neque enim, ut quondam, recte factorum gloria detrahitur principi, ut adjutori concedatur: tibi uni aſſeris adjutrix tua, quidquid efficit; tibi opes, tibi amicos, tibi vim ac robur acquirit: neque cenſerentur hæc omnino tua, niſi conſortis iſtius tuæ tota eſſent: quo vel uno, Rex maxime, ad Dei ſimilitudinem accedis; qui rerum univerſitatem ita moderatur ſolus, ut ſapientia duce moderetur. Quam incredibilem tuam cæleſtemque virtutem, dum Galli omnes ut parentem intuentur, ſocii ut patronam, Chriſtianæ gentes ut arbitram, ſapientes ut oraculum, reges ut exemplum, Deus ut imaginem ſuæ: patere, Princeps optime, eandem a me tanquam magiſtram coli; cui deinceps uni ſic ſtudeam; ut quemadmodum tibi divina ſapientia, ſic mihi tua propoſita ſit ad imitandum; omnemque putem & in contemplandis factis tuis ſcientiam, & in exprimendis exemplis virtutem, & in capeſſendis imperiis gloriam eſſe collocatam.

JULIO CARDINALI MAZARINO.

Nuncupatoria theſeon philoſophicarum.

Ex perſona FRANCISCI MICHAELIS LE TELLIER, *Marchionis de Louvois.*

VERERER ut facilis ad te pateret aditus, PRINCEPS EMINENTISSIME, hoc præſertim maximarum occupationum tempore: niſi ducem adhiberem ſapientiam, quæ te nunquam utitur familia-

rius, quam cum maxime occupatus es. Tunc enim te toto fruitur, tecum dies noctesque conſultans; & eodem tuis in conſiliis dignata loco, quem tu in regiis obtines: ut neque Rex te inconſulto, neque tu inaudita ſapientia, quidquam aggrediamini. Ea me, Princeps eminentiſſime, præ cæteris cauſa impulit, ut ſtudia ipſi mea conſecrarem. Ut enim eo te quiſque colit impenſius, quo Regis gratiam ambitioſius affectat: ita placere tibi poſſe facilius neminem duxi, quam qui ſapientiam ſtudioſius coluerit. Quidquam autem illa præceptis ſuis inculcet, minus eſt, quam quod eam tua facta docuerunt. Hoc unum ante norat, magnis opibus magna facere: a te didicit, exhauſto bellis ærario perfici grandiora poſſe, quam eodem ex diuturnæ pacis affluentia referto tentaverat: poſſe omnia, ſplendidiora domi, florentiora militiæ, ſumma æris publici parſimonia curari; ad æternæ illius ſapientiæ modum, res præſtantiſſimas ex nihilo procreantis. A te didicit, timeri poſſe, qui neminem terreat; poſſe amari, cujus potentia formidetur: didicit inimicos beneficentia, ſontes indulgentia coërcere: maxima quæque minimis agitationibus moliri; & tum videri otioſiſſima, cum operoſiſſime laborat: uti Solem, quanquam fertur incitatiſſime, quietum ſemper immotumque videmur intueri. Ignorabat artem adjugendæ ſibi fortunæ, ejus inimicam ſe profeſſa, cum amica eſſe non poſſet: hanc a te artem edocta eſt: dum regnum adminiſtras ea prudentia, cui ſervire felicitas cogitur; ea felicitate, cui nihil non credere prudentia tuto poſſit. Cui proſperitati tuæ cum gratulatur Gallia, Princeps eminentiſſime, gratulatur & ſuæ: neque jam invidere felicitati tuæ quiſquam poteſt, niſi qui ſuam faſtidiat, qui publicam oderit, qui regiæ ſit ini-

ILLUSTRISSIME: quibus cum in otio ſtuderes olim impenſius, eripi te ſibi alumnum ea conditione paſſæ ſunt, ut patrono frerentur. Difficile autem dictu eſt, majorine iis ornamento ſis patronus, an alumnus fueris. Cum enim illuſtre ipſis eſt tua fulgere purpura: tum glorioſum imprimis, eandem ſplendore ſuo accendiſſe; & eum finxiſſe Lamonium, apud quam Rex majeſtatem ſuam cuſtodiendam deponeret. Cujus tu quidem ſacroſancti depoſiti tam fidus ac religioſus es cuſtos: ut eam, non in curia tantum, in qua per te edit oracula; ſed in privatis ipſis congreſſibus, vultu ipſo circunferas: in ſenatu ſeveram, domi facilem, ſerenam ubique; nec minus amicorum in circulis, quam in patrum conſeſſu venerandam. Ea te dignitate cum Rex auctum voluit, Illuſtriſſime Lamoni; non tibi dediſſe beneficium, ſed patriæ juſtum officium perſolviſſe viſus eſt: neque tuis ſtuduiſſe commodis, ſed te publicis devoviſſe. Deſiiſti tuus eſſe, ex quo totus omnium eſſe cœpiſti. Quamvis enim amplexus ea ſis, quæ disjunctiſſima prius habita ſunt, religionis & reipublicæ jura, principis & populi commoda, auctoritatem in ſenatu & favorem in aula, amicorum gratiam & juſtitiæ ſeveritatem, ſanctitatem morum & elegantiam vitæ: conciliari ipſe cum fortuna non potes; & in ſummo licet ſplendore vivas, non is fortunæ ſplendor, ſed dignitatis totus ac virtutis eſt. Aſperior hæc, illuſtriſſime ſenatus Princeps, & minus æqua juſtitia eſt, cujus ex inſtitutis in te ſis unum iniquior; & cum jus cæteris ſuum tanta conſtantia & æquabilitate reddas, a te ipſe non obtineas tuum. In tam auſtera philoſophia, & tam omnis commodi ac delectationis experte, unas ferme reſervaſti tibi delicias, ſtudia

literarum. In hoc quoque parum juſtus: quod ſi quid tibi forte conceſſum otii fuerit, quo reſpirare libere poſſis; ejus fructum, non remiſſionem animi, ſed laborem alium eſſe velis: nec vitam tuam, quod æquitatis erat, in occupationes & quietem dividas; ſed in occupationum genera partiaris. Una te a doctrinæ complexu abſtrahunt publica negotia, una publicis a negotiis doctrina divellit; & nunc avocari te tantiſper ab iis poſſe diffiderem, niſi artium omnium parens philoſophia invitaret. Invitat ſapientia, ut ſemel adſis dimicationibus ſuis, quæ a te ne in otio quidem tuo unquam abfuit: conciliatrix certiſſima, cujus gratiæ nihil non tribuas; teſtis ſanctiſſima, cujus fide ac ſponſione perpetuum tibi cultum & obſervantiam profitear.

EIDEM

Nuncupatoria theſeon philoſophicarum

Ex perſona GUILLELMI BENARD DE REZE'.

QUOD te a publicis curis avocare tantiſper audeam, PRINCEPS SENATUS ILLUSTRISSIME, dabis hanc philoſophiæ veniam; cujus tu doctrinarumque omnium ante princeps fuiſti, quam ſenatus eſſes. Confidentiorem hæc temporis prærogativa reddit. Neque enim abdicaſti principatum illum, cum ordini ampliſſimo præſidere cœpiſti: amare non deſiiſti ſapientiæ conſuetudinem, eamque fovere ac complecti; cui tu celſiſſimum honoris gradum, cui Gallia teipſum debet. Tu ejus ſtudiis præes, illa tuis conſiliis: tecum in regiam, tecum in curiam recepta; & per te honoris illius effecta particeps, quem per ipſam obtinueras: ſic ut vobis mutuo ſumma omnia debeatis. Incertum eſt

autem,

autem, Illuſtriſſime Lamoni, utrum tibi gratulemur magis; an quod tantum ei dederis, an quod ab ea tantum acceperis: illuſtri ſane commercio, in quo uno æque eſt accipere ac donare glorioſum. Facit hæc ſapientiæ dignitatiſque in te mirifica conjunctio, ut tibi ſtudiorum ſuorum fructus plerique conſecrent, doctrinamque ſuam velint a purpuræ tuæ ſplendore fulgere. Colunt ij ſcilicet dignitatem tuam; ego, præſtantius aliquid & veneratione dignius, teipſum, titulis omnibus tuis tuaque adeo dignitate majorem. Domeſticus hic mihi nativuſque ſenſus eſt, Illuſtriſſime ſenatus Princeps: & ab ejus parentis hauſtus ingenio, exemplis, quotidianis ſermonibus; qui cum tibi ſtuduerit jampridem, & in intimis tuis diuturna conſuetudine fuerit, nihil in te vidit niſi ſummum, nihil quod honore hoc tuo majus & excelſius non eſſet: eoque factum eſt, ut non minori te privatum, quam ſenatus Principem obſervantia coluerit. Quam erga te venerationem cum in liberos ſuos transfuſam gaudeat: tum eam me juſſit hoc qualicunque monumento, ipſa teſte & quaſi fidejubente ſapientia, profiteri.

LUDOVICO PHELYPEAUX

DOMINO DE LA VRILLIERE

REGIA CONSILIIS ACTIS ET EPISTOLIS, &c.

Nuncupatoria theſeon philoſophicarum.

Ex perſona MICHAELIS FILII.

PATRONUM a me aliunde adſcitum dari philoſophiæ, neque me, PATER OPTIME, neque

philoſophiam decebat. Nam & cliens nequit eſſe cujuſquam, quæ magiſtra regum eſt, ſapientia; & patrono non indiget, qui te patrem ſortitus eſt. Quod autem te parente glorier, non illa, quam hereditariam jam tertius obtines, dignitas facit; cujus officia & munera cum plurimi ſemper duxeris, ſplendorem a nobis pro nihilo putari jubes: non amplitudo fortunæ, quam tueri nobis, tuæ virtutis eſſe cenſes; noſtræ, ne intueri quidem: non illuſtres amicitiæ; quas cum tua tibi merita pepererint, eaſdem conſervare nobis, niſi accedant & noſtra, non poterunt: non ſumma denique apud optimates auctoritas, apud Regem gratia, apud omnes fama & commendatio nominis; quæ laudes ornamento tibi tuiſque ſunt; ſed his erunt quoque ingentis oneris loco, cum tantæ ſuſtinendæ moli ſubibunt. Hæc, inquam, aliaque hujuſmodi decora permulta, cum tanti faciam, quanti philoſophia præſcripſit: præſcribit eadem, ut hoc gratuler e multis unum; quod nulla mihi biennio toto pręcepta tradiderit, quę tuis expreſſa moribus multo ante non viderim: quod adoleverim ſub grandi virtutum tuarum magiſterio; quas animadverti ſemper, ita ſeveritati ſtudere, ut ſint omnis elegantiæ cumprimis amantes; ita fortunam contemnere, ut eam ancillari ſibi cogant; ſic otio delectari, ut in negotio triumphent. Peccarem, mi Pater, & reus læſi pudoris eſſem, mei perinde ac tui: ſi hæc a me prædicandi tui cauſa dicerentur, non mihi fratribuſque gratulandi, qui talem in diſciplinam traditi naſcentes ſumus. Nam aſſentari laudando, nec philoſophus auſit, nec filius, nec mortalium quiſquam, qui modo norit te laudum tuarum oſorem uſque adeo perpetuum eſſe; ut cum iis aures tuæ tot jam annos circumſonent, tamen audiendis aſſueſcere nondum potueri,

Sed taceat licet quidquid præconiorum eſt, æterna tua laus erit regum duorum amor ; qui tuam in tractandis arcanis ſuis fidem, in dandis conſiliis prudentiam, in rebus gerendis ſolertiam experti, te conſtanter omnibus honoris ac benevolentiæ ſignificationibus complexi ſunt. Hæc demum exempla ſunt exaggeratæ ſapientiæ : cujus tirocinium quoddam & leve rudimentum cum philoſophia omnis noſtra ſit ; eam tuo nomini, Pater optime, eo dicatam animo volui, quo fructus illius omnes, ſi qui futuri ſint aliquando noſtri, tuis addictos nutibus jam nunc dedico & conſecro. Vale.

MICHAELI LE TELLIER

REGI A CONSILIIS, ACTIS ET EPISTOLIS, &c.

Nuncupatoria theſeon philoſophicarum, dum ageretur de pace conſtituenda.

Ex perſona ****.

MEDITANTI tibi pacis conſilia, VIR ILLUSTRISSIME, intempeſtivum munus pugnas ſuas offerret philoſophia, niſi tuis arbitriis componendas offerret. Patietur Gallia avocari te tantiſper a procuratione rerum ſuarum, teque hanc referre gratiam ſapientiæ ; quæ te ad ſua primum, deinde ad Regis arcana, per omnes virtutum honorumque gradus evectum admiſit. Conſcius ipſe tibi es, quam non aulicis artibus & ambitioni debeas ; quod, ambientibus interim multis, & nulli prenſationis ſtudio parcentibus, ab ultimis Inſubribus, auctore Mazarino, a Rege evocatus es. Abſente te merita tua penetrabant in regiam : nunquam a Regis comitatu, nunquam a Cardinalis

oculis diſcedebant. Neque vero humilis erat ille virtutum tuarum ac ſapientiæ ambitus ; urgebat munificentiam ſapientiſſimi principis, candidatiſque cæteris imponere ſilentium videbatur. Qua in re nihil tibi donavit fortuna, ſed ingentis debiti partem exolvit. Si quid tamen largita eſt, reſpondiſti jamdudum majore beneficio ; dum ipſi, quo prius caruerat, decus illud & ornamentum adjunxiſti ſingularis modeſtiæ tuæ ; quæ cum ſine exemplo ſit, exemplum ipſa deinceps omnibus eſt futura ; quam cum admirantur omnes, tum in hoc accuſant multi, quod ſine modo eſt : rara laus, hoc uno damnari. Atque illa quidem inimiciſſima duo cum conciliaveris, felicitatem & modeſtiam : merito ſperavit ſapientia, dirimendas te auſpice contentiones omnes ſuas ; aut ſi quæ ſuperſint, eum imitaturas concentum, quem virtutes omnes atque doctrinæ, in te ornando jamdiu certantes, admirabiliter efficiunt. At ſi pugnas cæteras præ tuo illo pacis amore ſuſtuleris : ſupererit tamen una ; quæ tecum nobis æterna futura eſt. Cum enim tibi ſit domus noſtra æternis obligata beneficiis : cum tui ſit muneris quicquid ſumus ; ejuſdemque ſit deinceps, quicquid erimus, futurum, impoſita quædam nobis neceſſitas eſt, cum infinitis in nos meritis, perpetuo cultu & omni obſervantiæ genere certandi.

BALTAZARI
PHELYPEAUX
MARCHIONI DE CHASTEAUNEUF,
REGI A CONSILIIS, ACTIS, ET EPISTOLIS, &c.
Nuncupatoria theſeon philoſophicarum,
Ex perſona FRANCISCI LE PELLETIER DES RUAUX.

EADEM apud te conciliatrice utor, VIR ILLUSTRISSIME, qua ipſe apud Regem uſus es, ſapientia. Neque enim eum, quem obtines honoris gradum impetrarunt; aut ſplendidæ amicitiæ, quas tibi generoſa mens & vitæ par elangantia peperit; aut magnitudo affinitatum, quæ tibi ſummos quoſque devinciunt; aut familiæ ſplendor, quæ, quod ipſi peculiare eſt, quatuor jam ante te cenſebat tanti muneris adminiſtros. Felicitatis eſt, quod iis parentibus ortus ſis; virtutis ac ſapientiæ tuæ, quod in eorum dignitatem quintus ſucceſſeris. Ita enim illorum rationem habuit Rex optimus, ut tui duxerit præcipuam; eique tuto credi arcana ſua judicavit, quem ſuorum participem ſapientia feciſſet. Sanguinis olim hic honos fuit, nunc virtutis eſt: nec hereditatis locum, ſed mercedis obtinet. Glorioſum eſt tibi, Vir illuſtriſſime, hoc de te intelligentiſſimi principis judicium: eoque ſplendidius, quod novis ab ipſo frequentibuſque ſuffragiis, ex quo res gerere cœpiſti, palam confirmatum eſt. Gratulabatur antea tibi præclaras ingenii animique dotes, quas tanto dignas beneficio judicaſſet: nunc, cum earum præſtantiam uſu ipſo

cognovit, ſuum ſibi delectum. Rex ſapientiſſimus gratulatur. Agnoſcit in te, quam erat in parente tuo dudum expertus, ſummam in uſu regii nominis religionem, in tractandis arcanis fidem, in deliberando prudentiam, in agendo ſolertiam, vigilantiam, fortitudinem. Cum vero te in conſiliis ſuis audire cœpit, referentem ad ſe de rebus hujus imperii maximis, & tam perite de omnibus, tamque ſubtiliter & enucleate diſſerentem: tum laudavit ſenatus judicium, qui te, ſive de privatis publiciſque cauſis cognoſceres, ſive conſiliorum auctor eſſes, inter cæteros ſuſpexiſſet. Magna de te Rex a multis audierat, majora per ſe comperit: & quos habere primum ſuſpectos potuerat laudum tuarum præcones, quaſi ſummiſſi adornatique, ut aulæ ingenium eſt, operas tibi ſuas commodarent; feciſti præſens, eorum ut abſolverit fidem, & in laudando temperantiam probarit. Laus eſt apud perſpicaciſſimum æquiſſimumque principem, parciores habuiſſe laudatores; famamque tuam, quamvis ingentem, tui ſimilem, hoc eſt, modeſtam fuiſſe. Tantus ei ſtatim apparuiſti, quantum te non humanis ſolum diviniſque ſtudiis, ſed rebus maximis gerendis, diu ſapientia formaverat. Nihil igitur debes fortunæ, niſi quod, Ludovico Rege, natus es: cætera ſapientiæ debes, quæ talem te finxit, quales tantus princeps adminiſtros deſiderat. Quæ tibi viciſſim aliquid ut debeat; patere, Vir illuſtriſſime, tuo inſignita nomine prodire ipſius decreta, quo & ſua communiri Regum maximus optavit.

NICOLAO FOUQUET IN SENATU PARISIENSI PROCURATORI GENERALI, SUMMO REGII ÆRARII PRÆFECTO, &c.

Nuncupatoria theſeon philoſophicarum, *Ex perſona* JACOBI JANNART.

COPIAM tui, ſi non omnibus faceret humanitas tua, VIR ILLUSTRISSIME, impetraret hodie mihi ſapientia, quæ tantam ſui tibi copiam fecit. Quod enim tantus ſis, adeo fortunæ non debes; ut, quidquid tibi fortuna tribuit, ſapientiæ tuæ debeat. Perveniſti ad illud faſtigium non temere ac ſine conſilio, ſed certis ac deſtinatis honorum virtutumque gradibus, quos cum decurreres, veſtigiaque tua ſapientes obſervarent; vaticinabantur jam inde tibi, & quæ geris in præſenti munera, & quæ poſthac ampliora geſturus es: uti ſiderum curſus progreſſuſque multiplices, quamvis fortuiti videantur imperitis, ab eruditis tamen rerumque cæleſtium gnaris, conſtantem eorum converſionem intuentibus, multo ante prædicuntur. VIX enim in curiam adoleſcens cooptatus eras, cum emicare cœpit ingenii lux illa, quam deinde temporum noſtrorum diſcutiendæ caligini neceſſariam experti ſumus; illa perſpicacia, quam nihil fugit; illa celeritas, quæ nihil non antevertit; illa vis, quæ nulla negotiorum vel mole opprimi, vel turbari varietate poteſt. Oſtendebat ſeſe jam tum magna illa mens; æque tranquilla, & actuoſa; minima contentione maxima quæque perficiens;

& ad ſimilitudinem accedens divinæ mentis, quæ cum immota ſit, ſuis omnia motibus ciere non ceſſat. Facit hæc animi æquabilitas; ut ſæpe, an in otio ſis, an in negotio, intelligi, niſi ex eorum qui tecum ſunt vultu, non poſſit: qui dum anxii æſtuanteſque cernuntur, tum demum agnoſcitur, magna quædam & perplexa tractari; teque vicem inter eos obtinere Solis, qui nunquam eſt efficacior, quam cum maxime ſerenus eſt. Quod talis ad ſumma gerenda munera tantuſque acceſſeris, Vir illuſtriſſime, non tua, ſed Galliæ felicitas fecit. Eſt autem hæc proprie tua, quod tibi ſuas opes ità fortuna largita ſit, ut tuas non ademerit: quod nihil tibi deceſſerit de humanitate, nihil exciderit de modeſtia, nihil de integritate, candore, amicitiæ fide ac conſtantia perierit: quod eandem agnoſcant omnes, quam & mirabantur prius; dignitatem ſine ſupercilio, magnificentiam ſine luxu, munificentiam ſine oſtentatione, elegantiam ſine faſtidio: quibus adjunctum gratulantur miraculum ingens, felicitatem ſine invidia: hoc minus invidendam felicitatem; quod eam, cum fortuna tuam feciſſet, tu publicam effeceris. Hanc nimirum reputant ſuam, & princeps, cujus ſplendori ſervis; & populus, cujus commodis ſtudes; & ſenatus, cujus auctoritatem tueris; & amici, quos tua frui proſperitate vis; & ignoti, quos ſemper incredibili benignitate, plerumque vero & beneficentia recreas; & laudandæ artes omnes, quæ tuis foventur beneficiis, tua gratia ad omnem elegantiam & dignitatem excitantur. Patere, Vir illuſtriſſime, tam communis boni partem aliquam ad me quoque pertinere. Non accedo fortunæ ſupplex: ſapientiam convenio, ut ſe tantiſper nobis commodet; quæ tibi, multo etiam magis quam felicitas, publico bono conceſſa eſt.

OLIVARIO LE FEVRE D'ORMESSON

LIBELLORUM SUPPLICUM MAGISTRO,

Nuncupatoria theſeon philoſophicarum,

Ex perſona MICHAELIS BLONDEL.

PHILOSOPHIAM propono, VIR ILLUSTRISSIME, incertum an in placitis ſuis, an in effigie tua ſincerius expreſſam. Prodire geſtit ſub eo vultu, in quo nec ſeveritati ſuæ gratiam, nec venerationem virtutibus, nec doctrinæ auctoritatem defuturam unquam intelligit. Certant enimvero de hoc vultu virtutes, & ſuum eſſe unaquæque contendit. Suum vindicat juſtitia: eique tribunalia omnia ſuffragantur. Suum profitetur benignitas: & ipſi aſſentiuntur provinciæ, quæ te, cum ſumma ipſis auctoritate præeſſes, non tam judicem in dicendo jure, quam in reddendo parentem agnoverunt. Suum ait magnanimitas, ſuum modeſtia: teſteſque citant tot honores tuos, in quibus gerendis pari utriuſque laude verſatus es. Suum denique pietas clamat, quæ ſic inter gentilitia veſtra decora, jam inde a Franciſco Paulano, cenſetur; ut ſit proprie tua. Neque vero ſegnius de eodem vultu certant, animi candor, & magnitudo; morum gravitas, & elegantia; ingenii, & doctrinæ amplitudo: quæ quamvis germanæ ſint, conciliari tamen vix poſſent; niſi vultum eſſe tuum faterentur, in eoque ſe gauderent omnes honeſtiſſima ſocietate collectas. His ego ſatisfactum omnibus duxi, Vir illuſtriſſime, dum tibi uni ſtudui. Una in imagine,

& mihi præſidium, & philoſophiæ patrocinium, & devotionis erga te meæ monumentum conſtitutum eſſe volui. Hanc in æs incidi juſſi, non ut nominis tui diuturnitati conſulerem, quod æternum erit atque immortale per ſe ſe; ſed ut eſſet perennior grati animi profeſſio, quo tua in nos ſumma merita proſequemur.

RENATO DE MORNAY

EQUITI DOMINO DE LABEVILLE, &c.

Nuncupatoria theſeon philoſophicarum,

Ex perſona JACOBI ESTIENNE.

ARBITRUM te certaminum ſuorum optat philoſophia, VIR ILLUSTRISSIME: quem controverſiarum judicem ſapientiſſimi quique depoſcunt. Acquieſcere ſolet in decretis tuis nobilitas; neque ab iis provocavit unquam ad majus tribunal, quia ſapientiam tua ſuperiorem nullam agnoſcit. Neque vero putat philoſophia minus bene ſibi cum armato convenire; aut, quia relictis mitioribus ſtudiis militiam unam profeſſus es, peregrinam ſe apud te futuram credit: quæ præſidem ſapientiæ Palladem meminit e Jovis cerebro armatam prodiiſſe; neque majoris quemquam auctoritatis apud domitorem orbis terrarum Alexandrum, ſapientiæ magiſtro Ariſtotele, fuiſſe. Ita enim arma tractaſti, ut conſiliorum auctor maximus habereris: ita te Achillem vocabant ſuum fortiſſimi, ut Neſtorem cordatiſſimi nuncuparent. Decebant Mornæam gentem hæc decora, quæ cum memoriam omnem vetuſtate ſuperet, non conſeneſcit tamen: ſed viget eo flore virtutis, eo

ſplendore gloriæ, ex quo ejus perennitatem quidquid prudentum hominum eſt auguratur. Parum eſſet autem, niſi domeſticas haſce laudes inſignis apud te religio conſecraſſet: de qua cum cogito, cum domum tuam intueor omnibus gloriæ ac pietatis ornamentis illuſtrem: dubitare ſoleo, utrum honoris magis, an virtutis templum appellem. In hoc templo perpetuis ſacris operatur conjux ſanctiſſima: ex eodem decus religionis eximium prodiit liberorum natu maximus, idemque domus tuæ columen unicum, nunc eccleſiæ ſpes maxima; cui prius ſpes ampliſſimas tuis opibus ſuiſque meritis nixas fortuna faciebat; qui cum æqualium nemini elegantia & magnanimitate cederet, nunc religioſiſſimum quemque modeſtia & pietate vincit. Patere, Vir illuſtriſſime, litare me quoque eodem templo, & te non indignum munus, ſapientiam tuo nomini conſecrare.

* * * * *

PHILOSOPHIAM meam utroque tibi nomine debeo, PRÆSUL ILLUSTRISSIME, & quod philoſophia ſit, & quod ſit mea. Dudum enim eſt, quod omnes tibi oppigneraſti doctrinas, doctrinarumque principem ſapientiam tua ſtudia conſecrarunt. Magnum ab ea munus accepiſti, teipſum; qui munus ei maximum teipſum dederas. Quod ſi te illa majorem, quam acceperat, reddidit: major a te viciſſim, quam ſe tibi tradiderat, effecta eſt: nihilque non accepit a patrono, quæ ſe totam alumno crediderat. Artem ab ea ſummam didiciſti, populos regere; artem a te divinam edocta eſt, regere ſine ſupercilio, coërcere ſine terrore, ambiri ab honoribus; ægre præeſſe, & tamen ſine faſtidio. Dubitabunt enimvero poſteri, an civilius rem-

publicam, an religioſius eccleſiam gubernaveris: neque nominis tui mentionem ſine hac gubernatricis ſapientiæ laude facient. Obſervabunt hoc ſanguinis tui quaſi hereditarium eſſe decus, ſumma quæque moderari, arma, ſacra, regnum, regem ipſum. Cujus affinitas ſanguinis non tam mihi gloriandi cauſſam, quam neceſſitatem affert ei quidquid meum eſt conſecrandi. Tu, ſi nihil eſt noſtrum, quod amari merito poſſit: id certe complecteris in nobis quod tuum eſt; & vel antiquum in nos amorem tuum amabis. Vale.

* * * * *

QUAM olim Plato deſiderabat, en proferimus, PRÆSES AMPLISSIME, virtutem aſpectabilem. Sedet illa tuo in vultu, lucet in oculis, ſpirat in imagine: vitam haurit ab effigie, a geſtis ac moribus immortalitatem. Expreſſam illam virtutis effigiem, quam fruſtra expetiit Plato, per me Ariſtoteles nanciſcitur. Quod ab eo philoſophiam acceperim, plurimum debeo: quod clariorem ipſi referam, tuaque, id eſt, virtutis imagine inſignem; dicam audacter, plus mihi aliquanto æternum debebit. Poterat ſub tuo nomine tutus eſſe; ſub vultu, non poterit non eſſe glorioſus. Tutos enim præſtent ſimulacra Cæſarum eos, qui ad ſe confugerint; imago tua quem texerit, illuſtrem etiam glorioſumque reddet. In ea virtutes omnes agnoſcent poſteri, & optabunt: ſapientiam agnovimus peripatetici, & amplexi ſumus: æquitatem ipſam agnovit curia, & amavit: expreſſamque adeo magis agnoſceret; ſi oris tui, ut lineamenta, ita voces & ſententiarum oracula effigies eadem repræſentaſſet. Sed neque hoc minus immortalis erit æquitatis ac juſtitiæ tuæ

commendatio. Si non ut ſpirantem te, ita & loquentem æra & marmora repræſentare poſſunt: vivent certe in hominum animis omni ære ac marmore perennioribus voces illæ ac decreta, in quibus ipſa ſe Themis vivere gloriabitur. Hæc eſt enim mens univerſorum una, ut omnem a ſe continuo propulſatam injuriam putent, ſi te juris arbitrum ſunt nacti. Cujus me beneficii haud omnino exſortem fore hoc ſpero confidentius, quod quam apud te ſum cauſam acturus, ſapientiæ cauſa eſt. Vale.

PRÆFATIO

DISPUTATIONUM PHILOSOPHICARUM.

Coram Principe de Conty, & Pariſienſi ſenatu.

Ex perſona ***.

HANC ego philoſophiam dum tueor; pro te pugno, PRINCEPS SERENISSIME, quod tuum eſt vindico. Pro te pugnare, ſummæ felicitatis eſt; coram te pugnare, partæ jam & conſummatæ victoriæ: at te non duce tantum, ſed & commilitone pugnare, triumphi certiſſimi. Nunquam adſtitere pugnantibus Borbonii, quin victoriam aſpiraverint; nunquam in pugnantes ſtetere, quin cladem intulerint. Hoc ſi non Gallia, ſi non Europa loqueretur univerſa; hi tamen parietes loquerentur. Quod de fratre tuo caſtra, & aggeres; id de te hoc Lyceum prædicat. Quot pugnas uterque conſeritis; tot ſeritis palmas, quas æternitas una menſura eſt. Venitis uterque in pugnæ partem cum veſtris, ut eos vocetis in partem victoriæ. Hæc mihi, Princeps sereniſſime, quos animos faciant, intelligendum ab

iis ſpero; quibuſcum in hac arena confligam: & ſatis intelligunt certe hæc magni ſenatus lumina, præſides ampliſſimi, & ſenatores integerrimi; qui tui nuper in curia conſidentis, quaſi novi exorti ſideris conſpectu recreati ſunt. Hi quoque mihi, Princeps ſereniſſime, animos addunt, de ſapientia dimicanti. Triumphavit illa judicibus iis, a quibus integritas etiam rea coronatur. Omnem a ſe continuo propulſatam injuriam putat, quiſquis eos juris arbitros eſt nactus; neque de illorum patrocinio laborandum eſt ei, qui de ſua integritate non laboret. Non deerit apud eos ſapientiæ locus, apud quos nunquam defuit innocentiæ. Huc ſeſe a liliatis ſuis tribunalibus ſingulari humanitate demiſerunt: neque tamen longe aberunt a liliis, Princeps ſereniſſime, dum tibi aſſidebunt. Si faveris favebunt & ii; tuiſque a nutibus illorum judicia pendebunt. Favebis autem, qui me ſex annos teſtimoniis benevolentiæ tuæ honorificentiſſimis & ſocietate ſtudiorum ornaſti: ut ſub auſpiciis tuis ſuſcipienda mihi omnia judicarim.

PRÆFATIO

DISPUTATIONUM PHILOSOPHICARUM.

In funebri pompa Henrici Borbonii, Principis Condæi, coram Principe de Conty.

Pariſiis in Collegio Claromontano S. I.

*Ex perſona ***.*

CRUENTA gladiatorum certamina funebrem ad pompam inſtituere, exoletæ veterum ſuperſtitutionis fuit, PRINCEPS SERENISSIME: nos juſtis funebribus ſereniſſimo parenti tuo perſolvendis; & abſtinemus ſanguine, ne quid in pios manes pecce-

mus; & pugnas tamen inſtruimus, ne quid deſit ad illius cerimoniæ pompam, qua herois noſtri memoriam conſecrare meditamur. Ipſa, de qua pugnari ſolet, pugnas affectat philoſophia, quibus ſpectaculi ſplendorem exaggeret. Confligit ſecum ipſa, commiſſis inter ſe partibus contrariis duabus; quarum utraque tua eſſe dicique ambit. Ait, negat: incerta quid ſtatuat, dum tuo id ex ore nutuve cognoverit. Pugnat ut Henrici funus celebret: quieſcet dum Armandi oracula exceperit. Dudum eſt, quod principatum illa tibi detulit, qui principem ipſi totum dederas. Arbitrum ſe moderatoremque certaminum ſuorum agnoſcit: atque hanc non tam ſanguini, quam ingenio tuo prærogativam deberi profitetur. Admirata eſt illam ingenii indolem, qua celſiorem nullam invenerat, nullam ſublimius extulerat: Effudit in te opes omnes ſuas; & viſa eſſet exhauſta, niſi a te majores accepiſſet. Quidquid igitur explicabit in hac panegyri, vel tuum eſt, vel a te perfectius expolitum. Quum tibi philoſophiam dedico, tuas tibi opes reſtituo: quum eam adhibeo ad decoranda hæc ſacra funebria, exornandæ parentis pompæ nati divitias impendo. Itaque munerarius eris & agonotheta hujus certaminis, Princeps ſereniſſime: hujus ſpectaculi unus eris editor; in quo ita pugnabit philoſophia, ut ſi quam palmam ferat, tibi meminerit eſſe referendam.

PRÆFATIO

DISPUTATIONUM PHILOSOPHICARUM.

Ex perſona ANDREÆ LE FEVRE D'ORMESSON.

ÆTERNA, ut in foro, ſic in Lyceo litigia ſunt PRINCEPS SENATUS ILLUSTRISSIME: & eo

graviora quidem hæc noſtra, quod in iis non *de ſtillicidiorum aut luminum*, ſed de naturæ univerſæ Deique ipſius juribus diſceptatur. Sedent immortalium controverſiarum quot patroni, tot judices. Cauſas nimirum agimus philoſophi, arbitris nobis: & ut cuique noſtrum opinio ſua maxime placuit, atque acerrime defenſa eſt; ita ſecundum eam quaſi prætorio jure decernit. Philoſophi nuncupamur a vobis, juriſperiti ſumus. Apud nos terræ, maria, venti, fulmina, ſtellæ, corpora, ſpiritus, quidquid uſpiam rerum eſt; de loco ſuo, de ordine ac dignitate contendit. Nos ex æternis legibus jus unicuique reddimus, *actionem damus quibus competit*; utrinque probationes afferuntur, producuntur teſtes, fertur a nobis ſententia. Sed a judiciis noſtris, a Platonis ipſius Ariſtoteliſque decretis provocatio eſt. Lyceo, Academiæ, Hortis, Porticui ſuum cuique peculiare, & quaſi municipale jus eſt: cujus ex regulis legibuſque ſumma apud ſuos auctoritate decernunt: ita tamen ut refragari fas ſit cuivis, qui ſe modo philoſophari profiteatur. Plato univerſalem ideam *civitate donat*: nos falſi convictam exilio *ex lege Cornelia* mulctamus; & extra hunc orbem in vaſtas immenſaſque ſolitudines, in ſomniorum patriam deportamus. Accidentia omnia relegat Carteſius; negatque jus iis eſſe habitandi in ſubſtantiæ *fundo, & in eo inædificandi*, cum eum clam aut precario poſſideant: nos *interdicto unde vi*, ea in antiquam poſſeſſionem reſtituimus. Elementorum formis ſuum in mixtis corporibus locum ſchola prope omnis abjudicat: pulſæ illæ *actionem poſtularunt* a nobis; *judicium injuriarum dedimus*. Quid de iis dicam, qui *ingenuis hominibus ſtatus controverſiam movent*, ac toties deciſam *cauſam liberalem* hodieque retractant,

tractant. Liberi quippe nati ſumus, quotquot ſumus. Nos plagiarii quidam, nulla *legis Fabiæ* reverentia, in ſervitutem quaſi injecta manu vindicant: æquior philoſophia juris ſui, *ſuaque tutela* hominem eſſe pronuntiat, nulli obnoxium, nunquam audiendum quod vi metuſve cauſa quicquam a ſe geſtum dicat: neque vero *manumiſſione*, ac ne *reſtitutione* quidem natalium indigere, quaſi libertatem *ex poſtfacto* conſequatur; ſed *juſtam ab initio competere*. Quæ decreta noſtra cum abrogari a quovis eadem auctoritate poſſint: eo fit, ut jure parum certo utamur, aliis nimirum alias ejus regulas conſectantibus; neque judiciis extinguantur controverſiæ, ſed acrius accendantur. Tuum eſt, Illuſtriſſime ſenatus Princeps, pronuntiare, quæ ſancienda decreta, quæ reſcindenda ſint: dum juris noſtri quæſtiones coram te movebimus, reſpectabimus identidem ad nutus tuos, qui nobis reſponſi loco ſint; imo edicti perpetui vicem obtineant. Quare, ſive conciliare pugnantes leges; ſive antiquatam alteram, ratam alteram habere ſtatueris: expectabimus quid pronunties; & ejus acquieſcemus oraculis, cujus ex voce tot fata populorum ſuſpenſa ſunt.

PRÆFATIO

DISPUTATIONUM LOGICARUM.

Ex perſona ANDREÆ LE FEVRE D'ORMESSON.

QUOD diſceptandam arbitris vobis logicam proponimus, Auditores: non indignum tamen hoc conſeſſu, veſtriſque auribus allatum a nobis argumentum eſſe confidimus. Quis enim vilem hanc ſpernendamque materiam duxerit, qua Deus

ipſe immortaliter occupatur? æterna ſcilicet æterni Patris meditatio, logica eſt: in λόγῳ uno exprimendo verſatur divina mens: una hæc eſt in perſonis tribus mentis operatio: neque divinius quicquam in illarum conſilio tractatur. Tractant illæ inter ſeſe argumentum ingens; quam amplum, tam ſimplex; quam reconditum & latens, tam illuſtre ac nobile argumentum: argumentum, cujus cum tres ſint termini, medius unus oratio tota eſt; ubi cum majoris minoriſve propter ſummam æqualitatem nulla mentio ſit, omni momento concluditur, imo nulla temporum diuturnitate concludetur. Tam fœcundus, tam conſtans, tam infinitus ſermo, verbum unum eſt. Æternitas punctum eſt quo clauditur: ſæcula omnia periodi omnes in quas funditur: neque hic, aut metuenda ſermonis inopia, ubi verbum æternum eſt; aut contrahendæ illæ periodi, ubi infinitus eſt ſpiritus. Diſputatur hic, non ut inter nos ſolet, eruditis altercationibus; ſed pleniſſimis aſſenſionibus: æterna conſpiratio diſputationem intendit; ardentem ſine conflictu, actuoſam ſine agitatione, profundam ſine tenebris, jucundam ſine varietate, ſine perpetuis audiendi loquendique vicibus cohærentem: loquitur unus, nemo reſpondet; & jugis eſt tamen ac ſempiterna collocutio. Sed qui verbo uno Dei contineri ſcientiam omnem agnoſco, peccem profecto, ſi plura velim huic proluſioni impendere.



ALEXANDRO VII.

PONTIFICI MAXIMO.

IMAGO VECHIANA.

ANNO CIↃ. IↃC. LVI.

ARGUMENTUM.

PATER *Horatius Vechius ſocietatis* JESU *ſacerdos, ſtirpe apud Senenſes nobili oriundus, Alexandri VII. conſanguineus, in occidentalem Indiam prædicandi Evangelii cauſa tranſmiſſus, Chilenſe regnum ſortitus eſt. Hic poſt multa virtutum edita monimenta, in provinciam Elicuram ad pacificandos rebelles populos miſſus cum ſociis duobus, P. Martino Aranda, & F. Iacobo Montalbano, caſus eſt: Anganamonis reguli juſſu, traductas ad Chriſti ſacra, ſibique ſubductas aliquot pellices indignantis. Rei geſtæ imaginem æneâ formâ expreſſam Alexandro VII. Religioſi ſocietatis* JESU *hoc carmine conſecrarunt, Anno* CIↃ. IↃC. LVI.

MAXIME regnantum, qui terris omnibus unus;
Qui regnis ſuperum, & regnis das jura profundis:
Quamvis tergeminus ſupra faſtigia rerum
Omnia ſurgat apex, decora & mortalia temnat:
Non tamen indignum (ſit fas audere loquendo)
Spernendumve tibi munus; ſanctumque, tuumque
Heroem offerimus. Tuus eſt, quo tincta rubere
Barbara tela vides; quique Indica conſecrat arva
Vechiadæ ſanguis, tuus eſt: & fonte ab eodem
Chiſiadum in venas, per mille heroïca ductus
Nomina, & Etruſcæ fluxit decora inclita gentis:
Senenſeſque auxit non uno numine Divos.
Et nunc, credo equidem, ſancto tibi pectore ſanguis
Emicat occurſu cognati ſanguinis, ultro
Omnibus exultans, ſi fas erumpere, venis:
Seque ſui Vechi ſociare cruoribus ardet.
Indigetis Vechi, quem ſi, dum vita manebat,
Sanguine digna tuo nunquam ſacra purpura texit;
Ipſe ſacro tinxit morientem murice ſanguis.
Uſque adeo veſtræ debetur purpura genti.
Sed generis decus amplum, & nil vulgare ſonantes
Seu Chiſi titulos, ſeu Vechi nominis; olim
Doctius expreſſos major tibi ſiſtet imago,
Cunctos una togæ oſtentans ac Martis honores.
Hæc mortale nihil, rebuſve affine caducis
Exhibet, ac ſenſu vetat indulgere profano.
Sacrum auguſtum, ingens, & ſancta rite peractum
Relligione vides: ſacrum ne ſperne, ſacerdos;
Neu ſit Pontifici vilis, pretioſa tonanti
Quæ fuit, & magnis eſt addita victima Divis:

Cæde ſua felix, & honeſto victima leto.
Vechius hoc fatum trans & maria omnia longe,
Arenteſque plagas Indorum, & inhoſpita regna,
Quæſiit affectans: pulchræque ad mortis honorem
Mille per objectas voluit contendere mortes.
Huc curſus fuit: hanc Braſilum ſqualentibus agris,
Sole ſub ardenti, ſitiebat Horatius unam:
Hanc & Atlanteo in magno, dum turbida contra
Æquora, luctanteſque atris Aquilonibus Auſtri
Tendebant, unam mediis ardebat in undis.
Cumque Notis jactata, & ſummo pendula fluctu
Jam cælum ratis & ſtellatos tangeret axes:
Exiliit, jam jamque tenere micantia viſus
Limina, & optatos ardens irrumpere portus,
Naufragio felix. At præcipitantia vota
Damnavit tamen: Et, non ſic, ait, aſtra placetis:
Vos mihi per ſævas eſtis quærenda ſecures;
Jam devota ſacro ſum victima. Deinde ubi rurſum
Sideret in præceps fractæ mons ſpumeus undæ,
Ferreturque ſimul, manes ruere uſque ſub imos
Viſa ratis, totoque abſcondi merſa profundo:
Palluit aſpectu, atque ingloria fata refugit
Vechius. At vel ſic, inquit, ſic victima ſiam:
Quidve mea refert, corpuſne immania cete,
Immaneſne vorent Braſili? ſi me meus ante
Non riget expurgetque cruor: tamen hoſtia Chriſte
Non immunda cadam, cum me maria omnibus undis
Eluerint merſum, & luſtrale piaverit æquor.
Ah quoties populiſque tuis, America, tuiſque
Moribus indignans: Non es ſat barbara, dixit,
Nec votis ſatis apta meis. Te ſcilicet unam
Immitem ante alias, & funera multa minantem
Crediderat; fixaſque cruces in limine primo
Finxerat ingenioſus amor: vixque Indica puppis
Litora contigerat, dudum ignorata carinis

Litora, & ignotum longe ſemota ſub axem;
Cum ſibi deeſſe cruces queſtus, cœpitque morantes
Incuſare neces, nimis & parcentia fata.
Impatiens aram quærebat victima; votis
Jam mactata ſuis. Tum ſicubi acinacis Indus
Fulſerat, auditæve procul ſonuiſſe ſecures:
Me me, adſum, clamabat: & haud inſueta triumphis
Arma, crucem tollens; Chriſtum, novus advena, Chriſtum
Ibat in adverſos reſonans: mox barbara Chriſtum
Agmina certatim, peregrinæ murmure linguæ,
Quis credat? rudibuſque ſonis jam victa, vocabant:
Non prius auditum votis venerantia nomen,
Hoſpitis ante pedes. Quis tum tibi ſenſus, Horati?
Cum tua te fraudans votis ac morte petita,
Jam poſitam ante oculos rapuit victoria palmam?
Nec lugere ſinunt tot Chriſto parta trophæa;
Nec patitur gaudere tuo mora facta triumpho.
Quid facias? ambos magno ſub pectore ſenſus
Conciliavit amor: victori gaudia Chriſto
Plena dedit, luctuſque ſibi ſervavit amaros.
Et fluxere tamen communibus utraque rivis
Vechiadæ ex oculis. Lacrymas & ſancta voluptas,
Et ſanctus dolor elicuit, ſcatebriſque verenda
Ora ſuper geminis ingentia flumina currunt.
Et cum fonte ſacro plangentes pectora turbas
Mergeret, hæc ſacro miſcebat flumina fonti:
Divinuſque latex puris creſcebat ab undis.
O utinam, addebat, noſtri vos ſanguinis amne
Fas foret eluere! At ſi nondum fata tulerunt
Ut caderem, nec adhuc videor maturus Olympo,
Infelix: ſaltem pro me tibi victima, Chriſte,
Multa datur melior. Fert hæc tibi ſacra ſacerdos;
Victima qui fieri, ſineret tua ſancta voluntas,
Maluit. Interea noſtræ non unica cædi

Hoſtia proludat: mox ipſe adjungar; & ultro
Sanguineis reddar jampridem debitus aris.
His animis orbes alios, alioque calentes
Sole plagas peragrans, nova victor & invia longe
Pandebat Chriſto ſpatia: exuviaſque ſubacto
De Stygis imperio, poſt tempora longa receptas,
Ibat grata ferens cæleſti munera regi:
Perpetuis operans ſine cæde ac ſanguine ſacris,
Donec ſanguineis, tota quæ mente petebat,
Admotus ſacris, ſive hoſtia, ſive ſacerdos,
Occubuit tandem, atque anima meliore litavit.
Chilenſes terræ, toto quas ultimo mundo
India disjungit, vos hic aſpergine ſacra
Luſtravit cruor, & proprias ſacravit Olympo.
Tuque adeo nil jam decedis gentibus ullis,
Crimine facta tuo felix Elicura; tibique
Indignata licet, tellus tamen invidet omnis:
Invidet, & quo tincta mades venerata cruorem
Vechiadæ; facinus, quod deteſtatur, honorat:
Teque ream cædis, clamatque hac cæde beatam.
Qui te autem, tellus tum barbara, cæcus agebat
Incautam furor, & ſtimulis urgebat iniquis?
Ille tibi, poſt tot tenebris male merſa profundis
Sæcula, divini portabat luminis ignes:
Ille diu feſſæ bellis, & pacis egenti,
Pacem ibat, fœduſque ferens, orator Ibero
A b duce delectus: ſed nec ſacra lumina ferre
Pandentem potuit, nec fœdera certa novantem,
Impius Anganamon. Uxorum hic agmina ſecum
Longa trahens, thalamis aliquas fugiſſe relictis
Dum videt, & Chriſti meliora in jura vocatas:
Sævit in auctorem, caſtoque a ſanguine pœnas
Illuſtris facti furioſus ſumit adulter.
En ut agit flammas, torvaque in imagine ſævit
Ira ſuperſtes adhuc; en implacabilis ultor.

Ipſe necem mandatque, oculiſque immitibus haurit.
Nil agis his odiis: non hic tibi, barbare, ſanguis
Funditur: hunc pacis vindex, tutorque pudoris,
Libat utrique cadens, pridem devotus utrique
Vechiades; &, cum tua caſtus regna rigarit
Pacificuſque cruor, greſſum pax ocyus iſtuc
Alma feret, rituſque pudor damnabit avitos;
Et ſancta populus compoſtus lege quieſcet.
En etiam pœnis non ſufficis unus, Horati:
At necis adjuncti comites, quos inclitus ardor
Conſortes operum tantorum, haud parva ſecutos
Addiderat: trans & pelagi ſpatia omnia vectos,
Egerat extremos terrarum quærere fines.
Hinc ſævo mucrone cadit transfixus Aranda:
Fidus Aranda comes, quo non præſtantior alter,
Seu patrare animis, ſeu ferre ingentia magnis;
Et gentes mulcere feras, Chriſtique triumpho
Addere prodigiis & certo numine victas.
Inde afflictus humi traheris, clavaque trabali
Cervicem eliſus, nec vulnere ſaucius uno,
Montalbane, jaces; ſacri qui muneris exſors
Parva miniſteria, & tenuem contentus obibas
Vilibus officiis per mille pericula ſortem.
Unius ad triſtes nutus cecidere tyranni
Tergemini heroes: fratrum ſimul edita cædes
Una trium: inque unum tres rivi ſanguinis amnem
Concordes coeunt, alveoque feruntur eodem.
Dux fuit ad cælum tamen; ingentemque, peremptus
Ante alios, animam fatis illuſtribus egit
Fortis Vechiades: ſeu primum hunc tela petebant,
Seu magis ipſe ruit nudatos primus in enſes;
Expectanſque necem dudum, exultanſque reperta.
Namque ubi carnificum voces, longeque ſonantum
Audiit armorum ſtrepitus, ac ſæva minantum:
Obvius exiliit, mortiſque ad ſigna propinquæ

Geſtiit,

Geſtiit applaudens. Æſtivis menſibus anni
Haud ſecus agricola exultat, cum rauca ſonare
Murmura nimborum incipiunt:mox unda ſequetur
Scilicet, optatuſque ſatis ſitientibus imber.
Et quamvis tecto ſub paupere ſtaret ad aram
Gramineam, tum ſacra parans, ingentia ſacra;
Queis mactata Deum non impar victima placat:
Exiliit tamen impatiens, ſacriſque relictis,
Ad ſacra tot votis dudum exoptata volavit.
Nec jam, Chriſte, tuum patri libare cruorem
Sed te ambit placare ſuo. Ruit obvius ille
Carnificum turbæ; ruit illi turba viciſſim
Obvia carnificum:cædes optatur utrimque; [tant.
Hanc quærit fervens amor, hanc odia aſpera por-
Et dubitent oculi, malitne haurire cruorem
Impia barbaries; an fundere malit eumdem
Vechiadæ pietas, & amanti reddere Chriſto.
Ne plagis rimare viam furioſe, locumve
Sollicite explora: patet ecce ad vulnera totus,
Hoſtibus & nudans objectat pectora, teliſque
Indefenſa aperit: quæ ſæva barbarus haſta
Tranſadigit rumpens, animamque receſſibus altis
Inſequitur latitantem, dura cuſpide pellit.
Vivus ineſt tabulæ ſenſus; ſpirantque virorum
Expreſſæ effigies. Cernis flammata necantum
Ora; truceſque oculos? cernis,lætamque jacentis
Herois frontem, blanditaque lumina morti,
Et ſuperis blandita vocantibus? unius hærent
Ecce poli aſpectu;& quamvis morientia languent;
Nituntur tamen, & promiſſa ad ſidera tendunt:
Seu properantem animam ſupera ad convexa ſe-
quuntur; [cunt;
Seu magis antevolant cunctantem,& ad æthera du-
Deſignantque vias ſeſe ad ſua regna ferenti.
Nec ſatis eſt ſævis tortoribus unica cædes;

Nec, Vechi, ſatis una tibi. Nova deſtinat ecce
Vulnera trux alter; teque in caput enſe reducto
Mox feriet: ſic tu mactabere ſæpius idem,
Unaque ſufficies non uni victima ſacro;
Et paci devota eadem, & devota pudori,
Nec deſunt oculis fontes, caſtove flagrantes
Corde foci, votiva quibus ſeſe hoſtia mactat
Chriſto totam adolens. Sacro ſi viſus abeſſe
Thuris honos; ſupplent ſuſpiria thuris honorem,
Ignea miſſa polo, ſuperum quæ templa vaporant,
Thurea dona ſupra fumoſque accepta Sabæos.
Hic etiam ſacri vice thuris & ignis odori,
Fumat Vechiadæ ſanguis; gratoſque vapores
Idem halans cælo mittit, voceſque diſertas.
Non quales fudit, primus qui cæde recentem [ſans
Tinxit humum ſanguis: cum queſtibus æthera pul-
Poſceret ultrices fraterno a ſanguine pœnas.
Vocibus æternum reſonans petit aſtra benignis
Pacificus Vechi cruor: aſſiduuſque tonantis
Ad ſolium orator, pro caris ſupplicat Indis.
Hoc pius officium ſæva pro morte rependit.
Nunquam deinde cruor tacuit facundus: at Indos
Uſque docet reſonans, & iter deſignat Olympo.
Perpetuiſque operans, etiam poſt funera, ſacris;
Solemnes iterat voces: Procul eſte profani,
Eſte procul, clamans, noſtraque abſiſtite terra.
Irrita nec clamat. Fugiunt ſenſuſque profani,
Sacrilegique patrum ritus, dum cedere virtus
Sanguinis imperioſa jubet: tandemque Chilenſi
Incipit, & pietas, & pax aſſueſcere cælo.
O pietas! ô pax! hæc Indis munera quondam
Inclyte Chiſiade, patrum optime, maxime regum,
Sanguine parta tuo: populis hæc omnibus idem
Ferre parat ſanguis; cæloque accire laborat
Optatam Europæ, poſt tot bella aſpera, pacem.

Pax tibi ſolus amor. Pacem ſeu publica curas
Regnorum invigilans fatis, ſeu ſancta labori
Otia ſuccedunt, pacem meditaris; & unam
Voce vocas, votiſque, & curis omnibus unam.
Quam ſæpe, incenſo latebras dum quæris amori,
Interiore domo, tua te ſuſpiria produnt,
Ædibus in ſanctis unam reſonantia pacem!
Auditæque alto de pectore rumpere voces:
O pax! o bona pax! ſi te niſi ſanguine fuſo
Exorare nefas: noſtro tibi ſponte litamus.
Vulnera cur deſunt votis? o funere felix
Vechiades noſter, cecidit qui victima paci!
I cruor, i venis cruor omnibus: atque nefandas
Bellorum reſtringue facies. His pacis amator
Fervidus indulges votis, urgeſque morantem.
Quod ſi te ſervant populis, parcuntque cruori
Fata tuo, nec emi poſcunt alma otia tanti;
Si ſatis eſt, venis hauſtum morientis Horati
Jam paci fluxiſſe ſemel: pro ſanguine juges
Das paci lacrymas: placidus nec deſinit imber,
Fulmineoſque inter ſtrepitus, interque furentum
Murmura bellorum: & triſtes manare procellas.
Ac veluti cæli in medio, Boreæque Notique
Prælia cum miſcent, evertuntque omnia late
Frænari indociles: ruerit ſi nubibus imber
Largior, incipiunt poſitis manſueſcere bellis
Diſcordes ventorum animæ, pluviique fugantur
Aſpectu Jovis, & toto procul æthere cedunt.
Haud aliter lacrymiſque tuis compreſſa reſidet
Bellantum rabies populorum, ac læta ſerena
Reſtitues terris. Et jam miteſcere regna
Vocibus obſequioſa tuis, inflexaque corda
Regnantum aſpicio, ſanctæque faventia paci.
Tu modo dic leges, & fœderis unicus eſto
Arbiter æterni. Terras tremefecerit armis

Sævus Alexander: tu nomine clarus eodem,
Clarior & pacis titulis dicere; decuſque
Majus erit, feſſo bellis ſuccurrere mundo.
Et memor orbis erit: tibique immortalia gentes
Pacatæ decora, & ſæclis viſenda futuris,
Marmoreos arcus centeno fornice tollent:
Pacificoque alacres inſcribent marmora patri.
Has tibi relligio moles, has gloria tollet
Omnibus in terris; nec erit plaga nominis expers
Ulla tui: ſeu ſancta rigans ubi mœnia Tibris
Lene fluit, ſeu qua tranquillo Sequana manat
Flumine, ſeu præceps tumido qua currit Iberus.
Nec tibi non tollat monumenta perennia Rhenus,
Aut generoſa tuo Germania deſit honori:
Illa tibi (ſors hæc tot clades una levabat)
Nota diu, ſuaviſque; diu virtutibus hoſpes
Conſecrata tuis: cum pacis maximus auctor,
Inter tot proceres omni de gente profectos
Conſidens medius, venerabile nutibus unis
Concilium regeres; jam tum caput agnitus orbis,
Pacificus jam tum, crudeliaque arma peroſus.
Hæc tibi pacis erant inter tot bella parandæ
Prima rudimenta, & magni parva orſa laboris.
Suaſor eras pacis, nunc arbiter. Ecce Quirini
Auguſtum ad collem converſus reſpicit orbis,
Quæ ſibi fata pares. Jam cæli limine primo
Aurea pax, roſea, Petri qua culmina ſurgunt,
Nube latens, ſedet. Huc illam tua vota vocarunt.
Perge modo: en celeres primis jam niſibus alas
Commovet, exhortans ſeſe; tentatque volatum,
Jam deſueta diu. Nihil eſt, quod deinde moretur;
Exſpectatque tuos lapſura ex æthere nutus.
Tunc vatum egregii cantus Helicone profano
Ceſſabunt omnes: te ſanctis montibus unum
Et voces & plectra canent: paciſque parentem

Progenies pacis tollent ad ſidera Muſæ.
Dulcis amor Muſæ tuus, & melioribus annis
Deliciæ, cum te paulum ſubducere curis
Fas erat, & grandi Juvenelia ludere verſu:
Nec commiſſus adhuc inviderat otia mundus.
Accedent aliæ votis communibus artes:
Pacificis omnes ſtudiis; tibi pacis amanti
Caræ omnes: quarum ingenio viciſſe magiſtros
Diceris; Auſonios inter doctiſſimus unus,
Et tabulis pretium, & ſpiranti ponere ſaxo.
Certabunt ærique color, marmorque colori:
Omniaque in vultus artis miracula cernam
Ire tuos. Vincet radio Poſſinus Apellem,
Praxitelem cælo Berninus: & omnibus ora
Hic tua pigmentis imitabitur; ille metallis.
Nulla tibi ramis non cincta virentis olivæ
Effigies ſurget: cunctas & civica quercus,
Et vatum unus honos laurus Parnaſſia cinget:
Tolleturque triplex triplici de fronde tiara.
Et tibi tot florere oleas pax alma jubebit,
Quot palmas atavis heroibus aſpera Mavors
Inter bella dedit: veſtræ viret utraque genti
Arbor, & æternos veſtro dat munere fructus.
Tot terrarum inter ſtudia, & molimina tanta
Certantum officiis populorum, operumque labores
Immenſos; tenuis non dedignabere Muſæ
Obſequia, & noſtros exilia munera cantus.
Namque tuæ pars laudis erunt venientibus annis
Hi quoque, ſeque humiles donis majoribus addent.
Et facient animos etiam tua carmina noſtris.
Illa quidem noſtros tantum ſuperantia niſus,
Quantum Phocaïcas Heliconis culmina valles:
Sed tamen incendent vatum genus omne, tuiſque
Reſponſare modis, quanquam inferiore Camœna,
Ambitionis erit; tu dux eris unus, & unus

Materies; Muſiſque reſolves omnibus ora.
Ut cum vere novo ſylvæ regina ſonantis
Præcinuit Philomela: ſtupet nemus omne, choruſq;
Doctarum alituum; nec poſſe æquare fatentur.
Excitat una omnes tamen, argutoſque ſuperba
Provocat ad cantus: præeuntem ſponte ſecutæ
Certatim modulantur aves; carmenque magiſtræ,
Aut ardent imitari, aut non imitabile laudant.
Prima tibi pendunt hæc vectigalia noſtræ
Pierides, tenuique canunt præludia verſu:
Dicturæ majora, & tot tua nomina linguis
Miſſuræ in populos; quot late in diſſita regna
Spargitur Ignati ſoboles, inſignis Ieſu
Nomine; per terras jurata undaſque per omnes
Ire, redire tuo, morteſque laceſſere, nutu.
Hanc tibi devotam pridem, & complexus amantem es,
Foviſtique ſinu: caræ tibi gentis Ieſu
Ante pater, quam te dixiſſet terra parentem.
Nunc quoque terrarum quamvis moderaris habenas
Summa tenens, ſupplexque tibi ſummittitur orbis:
Non tamen ex illo deſpectos culmine rerum
Negligis, aut patrii ceſſas oblitus amoris.
Sed pius uſque faves; interque negotia mundi,
Noſtra tamen curas. Quod ſi perſolvere grates
Haud opis eſt noſtræ meritis ingentibus æquas;
At non forte tibi ſpretas noſterque, tuuſque
Vechiades unus cunctorum nomine reddit;
Noſtrorum interpres ſtudiorum, & idoneus obſes.
Hunc adeo magna non caſſum laude, tibive
Indecorem, parva quamvis in imagine, cernis.
Et ſit parva licet, tantum annue, mundus adorat;

VIRGO MARTYR
SEU
DE POMPA PURIFICATÆ VIRGINIS.

ANNO CIↃ. IↃC. XLII.

ÆTHEREI juvenes, ruite ocyus: omnis ab alto
Nobilitas pennata volet; curruſque jugaleſq;
Expediat. Deus ecce, viæ ſe dat Deus. Ecce
Prima puerperia: & , quæ non eſt allita, labem
Expiet ut templi in medio, parat ire Sionem
Diva parens; fuſuſque ſinu Divum pater infans,
Legales patri ſummo ſacrandus ad aras
Jam molitur iter, reſidemque incuſat Olympum.
Ergo agite, & feſta celeres accurrite pompa.
Audior. En media teſtudine, partibus æquis
Hinc polus atque illinc rutilo diſcedit hiatu,
Aligerumque vomit nubem: ruit aurea pubes,
Qua via facta; ſecatque obſtantes impigra nimbos.
Aſtra putes ſubito in terras ruere omnia, & omnem
Ire polum in præceps: & jam liquere paternum
Æthera, ſidereæque ſolum tetigere cohortes.
Sic, ubi porta data eſt, & aperti nubis hiulcæ
Concrepuere ſinus; examine fulgura denſo
Proſiluere: ſimul ſonitus, ſimul ignea cælo
Crebreſcunt jacula, & terris allapſa minantur.
Eia age, cæleſtes glomerantur, Diva, manipli
Ante fores parvas, & te plaudentibus alis
Expectant cupidi: nulla eſt mora, pompa parata eſt:
Egredere, o virgo, & celeres conſcende quadrigas;
Tuque, puerque tuus. Stetit ecce in limine currus
Artis opus Divæ: radios fecere rotarum
Titanis radii: geminos lentatus in orbes
Totus iit Titan: axem conflata dedere
Sidera, quot gelidos circum ſtant fuſa Triones.

In medio ſella eſt, quali fabricata metallo
Arce poli ſumma ſurgunt ſolia alta Tonantis.
Ipſi (tantus amor) Cherubim ſubiere jugales,
Ignitæque ardent animæ vectore per auras
Exultare Deo. Superum quid vota moraris?
Hic Regina ſede: cæleſti in murice natum
Reclina per iter: lactis ſi copia deſit;
Nectareo lacta, quo te polus impluit, imbri.
Irrita molimur, ſuperi: procul, ocyus omnem
Ferte procul pompam: Virgo abnuit, abnuit illos
Virginitas faſtus, & cultu paupere geſtit.
Dum loquor, en vilis dorſo conſedit aſelli,
Natum amplexa ſinu: lateri comes unicus hæret
Longævus cuſtos; nec quo ſit vecta laborat,
Dum vehat ipſa Deum: levis illi ſarcina Numen,
Inceſſumque juvat felix onus: ipſa beato
Tarda pecus levior ſub pondere facta, ſuperbit.
Invidere decus ſuperi: dumque ora ſilentes
Talibus intendunt viſis; ſeſeque repulſos
Miranturque, dolentque; & fata per omnia, facti
Exquirunt cauſas: en, cui mens gnara futuri
Ante alios, penituſque ſagax quid fata parenti
Quidve ferant nato, Gabriel: Sic nixus aſello
Chriſtus, ait, quondam Solymæa ad mœnia, triſte
Tendet iter lugens: ſimileſne hæc omina matri
Portendunt caſus? Hæc tantum, cætera prudens
Ore premit. Fratrum manus audiit, inque ſilentes
It pavor, & diro ſtupefactos omine turbat:
Crux natum matremque manet! præſaga malorum
Turba canit. Caſus virgo præſaga futuros
Ipſa quoque, & primos fertur ſenſiſſe dolores.
Non tulit aligeri vexillifer agminis ales
Sidereus Michaël, infauſtumque abnuit omen.
Increpitans pavidos: meliora reponere tentat
Callidus auguria, & triſtes avertere ſenſus;

Quin agite, o ſocii, exclamat: ſi gratia tangit;
Si nati, ſi matris amor; juvet ocyus omnes
Condecorare vias: palmæque cedrique virentes,
Ordinibus ductæ longis, utrimque ſacratum
Prætexant iter; & puero matrique procellas
Indociles, pluviaſque, hyberniſque incita ventis
Frigora defendant: dignus labor alite turma.
Nec decus hoc ſolum: magni decora alta trophæi,
Mille viam exornent, qua ſe Deus inferet, arcus;
Nulla triumphalis non ſit via. Dixit, & altum
Inſilit in nemus. Æterna nemus horruit umbra
Haud procul, intactum ferro, cedroſque perennes
Invictaſque ſitu palmas, æqualia cælo
Attollens capita. Hanc Michaël ex agmine primus
Inſilit in meſſem; ſequitur quem cætera pubes
Fulminis in morem, proceraque culmina vertit,
Annoſaſque trabes radicibus eruit imis.
Nec ſonat, aut cuneis, aut icta bipennibus arbos.
Ars alia eſt Divis ſolertior: omne pererrat
Vis occulta nemus, ſeſeque illapſa ſub imas
Inſinuat ſtirpes, & vivax corripit aura
Non ullo obluctans niſu: procumbere cedrum
Præcipitis cedri fragor admonet, omnis ab imo
Sylva cadit, truncique ſolo volvuntur inertes.
Nec, quæ ligna ruit, vis eſt inimica; virentes
Sponte cadunt palmæ: veſtigia regis adorant
Qua graditur puer, & pronæ capita ardua ponunt.
At ſtrage exultans media: Jacet ecce ſuperbi
Materies operis, Michaël ait: & rapit altam
Agmen agens, cedrum. Ruit omnibus ilicet alis
Præcipitans, ſequiturq, ducem haud invita juventus.
Quiſque cedrum palmamque rapit, juſſiſque locatas
Diſponunt ſpatiis: iterum ſtirps inſita terram
Corripit amplexu, fibriſque tenacibus hæret,
Mirum opus! aſpectu citius, duxere Sionis

Uſque ſub excelſæ muros, utraque viatum
Margine directas verſu quadruplice cedros,
Inſertaſque cedris palmas. Simul omnibus omnes
Stant fixæ ſpatiis: momento rapta per auras,
Momentoque ſata, artifici nemora ordine ſurgunt.
Jamque intervallis paribus, juvat addere longis
Fornicibus ductos commiſſoſque arcubus arcus;
Alta viæ decora, & Latiæ nil indiga pompæ.
Una omnes arſere animis, operique frementes
Incubuere: futura ſuper fugientibus annis
Molimenta parant operum, lignoque perenni
Celſa viatrici monumenta attollere Divæ,
Poſtibus aëriis. Hic vero, hic triſtius omen
Terrificat trepidos. Quiſquis ſinuatur in arcum,
Erigitur nigrans horrenti ſtipite truncus,
Tranſverſis alte ſtans cornibus; inque figuram
It crucis arboreæ: crux undique, & undique fœdæ
Triſtia ſigna necis. Terret feralis imago
Artifices Divos, pudor eſt feciſſe fateri:
Quiſque ſuum damnavit opus; frangitque repente.
Quiſq; ſuum, infandæq; arcet procul omnia mortis.
Ligna ſoluta jacent, ſternitque incondita terram
Materies. Iterum juvat inſtaurare laborem
Acrius, inque cruces iterum labor exiit omnis:
Invitique licet, nixique obſiſtere contra,
Effecere cruces: trabibus ſylva horrida diris
Surgit, & auguriis animos fatalibus implet.
Nec ſatis: ecce inter dumos auditur oberrans
Terribilis ſonus, & feralia carmina portat:
Quo Virgo, quo tendis iter? fuge, Virgo, Sionem:
Heu! fuge crudelem Solymam: tormenta, cruceſque
Invenies Solyma in magna. Nec finis: euntem
Proſequitur vox dira, cruceſque & funera cantat.
Cæleſtes operas ſternit pavor, ignea pigro
Corda gelu torpent, it flammea pallor in ora.

Ipſa parens ſubitis concuſſa horroribus: Ah! me
Fata cruceſque vocant, per tot præſagia, dixit.
Et poterat timuiſſe cruces, ſi ferre timorem
Qui ſedet in gremio poſſet Deus: ægra juventus
Stat circum, & trepidas pavitans vix commovet alas.
Et via fit tamen, atque incepto tramite tendunt.
Jam Solyma apparet propior, jam triſtia monſtra
Ingeminant magis, & viſis immitibus urgent.
Hinc latus ad lævum modico Calvaria clivo
Qua ſedet, ecce oculis iterum portenta recurrunt
Arboris infauſtæ: crux vertice fixa ſupremo
Tergemina apparet, viſuſque, furentibus alte
Mons arſiſſe rogis: illis objectus ad Eurum
Colle ſuper dextro qua frondet olivifer hortus:
Sanguineus cælo cadere imber, amœnaque largo
Flumine, & undanti viſus juga ſpargere tabo.
Tum ſibi terribiles utroque e monte viciſſim
Reſponſant voces ululantum, & dira canentum
Exitia. Hinc portas ubi jam tetigere: parentem
Funereus quatit horror, & aſpera mortis imago,
Et procerum furor, & ſtultæ ludibria plebis.
Hos inter fremitus, media inter talia monſtra,
Templa ſubit Virgo: verſis utrinque repente
Cardinibus valvarum ingentia clauſtra patefcunt,
Non hominum manibus ſolitaque emota virum vi:
Sponte patere putes, ſubito teſtata receſſu
Numinis adventus: famulantum prævia turba
Propulit aligerum, & penitus magna atria pandit.
Tecta ſacræ tremite alta domus, vicinaque turres
Fulmina nil veritæ! Deus ecce, nigrantibus umbris
Quem velaſtis adhuc, & relligione verendum
Quem colitis cæca; Deus aſpectabilis ædes
Intrat, & in parvo totum emicat hoſpite Numen;
Ille Deus, cujus reverentia quaſſat ahenos
Ditis agens poſtes, atque ardua terret Olympi;

Effulſit tua lux. Proh! quam fatalia creſcet
In portenta puer! multis dabit ille ſalutem:
Et dabit exitium multis, triſtique ruina
Opprimet everſos! Sed quot jactabitur idem
Heu quondam fatis! video fremere omnia contra
Verberaque, horrificaſque neces, ſævique furoris
Prælia; ceu fixum ludicra ad prælia ſignum
Omnia tela petent: per tot diſcrimina, gentem
Servitio ereptam meliora in jura reponet;
Perque cruces duras Jeſus erit. Et tibi laude
Pars erit in tanta, genitrix; dicere Sionis
Soſpita, & Iſaciæ ſervatrix altera gentis.
Sed decus in tantum & divini nominis ibis
In titulos, eadem per funera; & omine eodem
Tu quoque multa feres: te letifer enſis adactus
Hauriet, ac penitus mœrentia pectora rumpet.
Talia fata canit Simeon; eademque renarrat
Anna monente Deo, venturi præſcia vates
Ipſa quoque, & curis anus haud levioribus inſtans.
Hactenus omnibus crux terruit; omina cedunt:
Nunc inſtat crux ipſa, feroſque ciere dolores
Incipit, atrociſque parat præludia pugnæ.
Scilicet haud tenues oracula caſſa futuri
In ventos abiere: ſuis fecere repente
Ipſa fidem dictis; & quas cecinere, tulerunt
Corda ſub ima cruces. Nati quippe aſpera fata,
Atque ſuos caſus genitrix dum flebilis audit;
Triſtibus ægreſcit curis: jam funeris atræ
Terrificant ſpecies, & pœnis plena futuris
Mille haurit ſævas in mortis imagine mortes.
Qualiter accingens pugnæ terrebitur olim
Natus, Oliveto in ſummo, noctiſque per umbras:
Cum magnam irrumpent ſimulacra immania mentem,
Sanguineique ibunt toto de corpore rivi,

Haud alio matris turbantur pectora luctu :
His crucibus torquetur amans. Nunc eſt tibi, Virgo,
Faſciculus myrrhæ ſponſus tuus ; uberaque inter
Caſta ſedet, ſuccoſque in viſcera ſtillat amaros.
Quin etiam, horrendum, & dictu mirabile monſtrum,
Viſa ſinu medio pueri crudeſcere forma ;
Et ſeptem geminum mutari totus in enſem,
Qui prius in teneris infans erat aureus ulnis.
Nec modo, quæ cecinit vates oracula, terrent :
Ipſa ſuis agitur viſis. Micat ilicet olli,
Dum loquitur Simeon, divini luminis aura ;
Luminis æterni, quo rerum eventa ſagaci
Pinguntur radio ; ſeu lapſa prioribus annis,
Seu lateant ventura ſequentibus : omnia flammæ
Colligit unus apex ; ſpeculi velut orbe nitentis
In medio, coëunt ſpatiis loca diſſita longis.
Luminis quo perfuſa, expreſſum ſenſibus imis
Funerei luctus haud enarrabile textum
Evolvit mater, letumque, cruentaque bella,
Et quo quiſque modo labor ingruat ; omnia longam
In ſeriem digeſta, locoque ac tempore fixa.
Cernit, uti inſtantis trepidat formidine leti
Chriſtus inhorreſcens : ut multo ſudor inundat
Sanguine proruptus : nodis ut mille revinctum
Circumſtat furiata cohors, raptatque per umbras
Lapſantem in caput, & crebris genua ægra levantem
Verberibus. Videt hinc ſceleratas ante curules
Stare Deum : hinc longæ ludibria plurima mortis,
Veſteſque, abſciſſaſque comas ; turpataque ſævis
Unguibus, & ſputis tabentia putribus ora.
Hic etiam, hic volitans circum pennata juventus
Terret imaginibus diris ; ſic alta parentis
Juſſa ferunt ſummi: ſimulacraque triſtia rerum,
Arma necis crudæ, & ſævi inſtrumenta doloris.

Objicit ante oculos. Non jam nitet igneus ollis,
Ut prius, oris honos; non, quæ modo Sole micabat
Picta chlamys multo; non verſicolore paratu
Dulce fremunt pennæ: pullis in veſtibus omnes
Dant gemitum, furvæque ſonant ſtridoribus alæ.
Primus adeſt, fatalem ingenti mole columnam,
Carnibus hærentem laceris taboque fluentem,
Amplexus: circum longo ſtant ordine multi;
Lora cruenta manu, & rubris ſtillantia rivis
Verbera geſtantes: defert horrentibus alter
Contextam dumis, & acuta vepre coronam:
Proximus illuſo geſtamen futile regi
Fert calamum, tritamque extincto muricè pallam.
Hinc crux alta, ingens, fœdata cruoribus atris
Cernitur: illam humeris non tollat fortibus unus;
Biſſeni ſubeunt oneri, tantaque fatiſcunt
Biſſeni ſub mole. Aliis, clavique trabales,
Aleaque infelix, & fœdo turgida felle
Spongia, dilutoque madens fera lancea tabo
Relliquias animæ fibris hauſtura ſub imis,
Cunctaque feralis geſtantur fercula pompæ.
Singula mater obit luſtrans, & triſtia ſecum
Supplicia expendens: Te ne has, ait, o mea vita
In mortes peperi? te ne hæc in funera lacto?
Has mihi tu mortes, mea vita, hæc funera ſervas?
Hæc ego læta quidem ſubeo: ſi dura cruorem
Fata meum repetunt, in me deſæviat enſis;
Ibit ſponte cruor, modo ne per vulnera nati.
Quanquam, o ſumme parens, rape dira per omnia natum;
Et tuus, & meus eſt: hunc ſi tua jura repoſcunt;
Cedo meis, par una tibi cadat hoſtia numen:
Nil mihi, nil nato jam deprecor; omnibus ultro
Sanguis eat venis: mundi inſtaurare ruinas
Quæ mihi cumque dabit, faciet me pœna beatam.

(Nam ſomni ſic viſa ferunt) ingentia templa
Cælicolæ urgebant alacres, ſtudiiſque fremebant
Inſtantes operi. Grato mora nulla labori
Nec requies: ſtimulat manibus fabricanda beatis
Xaverio domus indigeti; ſonat omnibus unus
Xaverius linguis; unum alta per atria nomen,
Dum fervet labor, & cœptis haud mollibus inſtant,
Ora replet ſuperum ſacroſque incendit amores:
Unum cæleſtes operas ciet. Ergo frequentes
Huc illucque meant, & voto quæritur omni
Pars opere in tanto, nec quiſquam muneris exſors
Eſſe cupit: labor hic cælum beat. Ipſe redemptor
Duxque operis, micat in mediis urgetque volentes
Divus amor, celerique volans obit omnia penna,
Partiturque operas: & nunc ſua cuilibet inſtans
Munia deſcribit, ſua nunc obit ipſe viciſſim
Penſa, manumque operi tanto admoviſſe ſuperbit.
Audiit in terris, & pars avet eſſe laborum
India: deque ſuo magni conferre parentis
Ad decus ardet amans, refugitque ingrata videri.
India Nympharum ditiſſima: fœtus opum vi
Cui tumet, ac multo radiat ſinus aurifer igni.
Ergo parat cælo ſua munera ferre, futuri
Materiem templi: jam dites impigra venas
Sollicitat, fulvæque potentes ubere maſſæ
Rimatur latebras: immenſæ manibus imis
Effodiuntur opes: dat clarum illiſa ſonorem
Lamna frequens: ingens ſtipatur curribus aurum.
Nec minus & ſylvas, Diva nutante, per omnes
Procumbunt ebeni annoſæ, pretioſaque meſſis
Jugera conſternit centum: nec ſecius album
Undique comportatur ebur, mora nulla; ſuumque
Ante pedes Divæ vovet omnis bellua dentem,
Xaverio ſacrum vovet. Hinc ſubit ocyor omnes
Nympha lacus, penituſq; humentibus abdita regnis,

Gangis & Oceani gazam, decus omne profundi,
Gemmiferæque ſolum late populatur arenæ.
Mox adamante graves ſcopulos atque intima ſaxa
Inclyta prædatrix ſubit, hærenteſque lapillos
Avellit fibris ſilicum: dein æquore ab omni
Poſtquam legit opes, plauſtris ingentibus effert:
Mole gravant terras, affectantque æthera currus.
Jamque vias tenues nimborum, & inania cuncti
Æquora corripuere: ſub agmine conditur aër,
Miſceturque roti: volat Indica gaza per auras.
Nympha præit cunctis, atque alipedes Elephantos
Quadrijuges agitat, curruque ſupervolat aureo.
Vix ſola deſeruere, & jam ſupera ardua pulſant.
Panduntur bifores Orientis, & ampla pateſcunt
Atria cælicolûm; queis ſe ſuaque ocius infert.
Dona ruens, fuſco non vilior India vultu.
Decolor illa quidem; ſed penſant damna coloris
Candantes oculi, nigroque ex ore micantes.
Sic ebeno ſociatur ebur: ſic veſtibus atris
Gemma nitet: ſubluſtri adamas ſic conditus umbra,
Sidereique altis radiant in noctibus ignes.
Ut ſtetit, ætherei qua fervent orſa laboris:
Magnificas effundit opes, geſtitque tueri
Arte laboratas Divum, dignaſque ſacrari
Hoſpite Xaverio. Sed enim, quis credat? Amori
Viſa levis nimium, ac cœptis ingentibus impar
Materies tanta: Et, veſtræ nil, dixit, egentes
Aut opis, aut gazæ ſuperi ſumus: eſt ſua cælo.
Tantum effatus, & ad molimina magna paratos
Oſtentat lapides; iſtos ſibi nuper in uſus,
Collibus æternis ſuperum ſacræque Sionis
Montibus exciſos. Non auri fulget in illis,
Argentive nitor, non vivax flamma pyropi,
Stellarumve faces, aut Lunæ candidus ardor.
Major honos lapidi, gemmis & lumine major.

Mygdonio, ſuperiſque micantior ignibus ignis.
Tale jubar Phœbi; talis ſolia alta Tonantis
Ornat materies, & Divum lumina paſcit.
Ne tamen ingratum merito quereretur Amorem
India, ſeque polo ſpretam ac ſua dona putaret:
Eſſe operis partem terreſtris munera gazæ
Sivit Amor, ſed quæ terris ſit proxima, partem,
Scilicet immenſæ jacit ad fundamina molis,
Qua ſola foſſa patent fauceſque voraginis altæ,
Congeſtas Orientis opes: data ſigna ſequuntur
Siderei fratres, pretioſaque gurgite vaſto
Demittunt cæmenta, infoſſaque ſidera condunt.
Tantum opus, æternas Franciſco ſurgere ſedes.
Ventum erat ad muros, queis ſole micantia ſaxa
Condendis aderant. Ruit officioſa juventus,
Nobilitas pennata: ruunt heroica turma,
Aſſerti cælo proceres; dum vita manebat
Plebs quondam, & mortale ſolo genus. Ad ſua cuncti
Penſa volant; lapidemque ambit geſtare, rapitque
Haud mora quiſque ſuum: geſtator pluſne coruſcet,
An lapis, incertum eſt: gemini dant lumina Soles;
Hic geritur, gerit ille: micant ſpatia ampla, Tonantis
Aula quod invideat: longe ignea ſemita lucet
Pondera geſtantum, & rutila ſub mole micantum.
Quadrat Amor lapides, certaque explorat amuſſi
Incumbens, Xaveriqué inſcriptos nomina mittit.
Ipſe manu tenera gaudet ſubvolvere moles
Saxorum immenſas, ſubvectatque alite dorſo:
Et pluma grave geſtat onus. Jamq; omne peractum.
Extat opus, quid non fingant ſibi ſomnia? muros.
Ducere vix opifex cœpit; ſimul arduus alte
Surgere viſus apex: & tantum lucida Solis
Surgere templa ſupra convexaque viſus Olympi;

Quantum humiles clivos juga ſumma caſaſque jacentes
Deſpiciunt: tollunt faſtigia celſa columnæ
Dorides, & facies nitet omnis Dorica templi.
Interea non ante opera ſpectatus in omni,
(Sic agitat ſimulacra levis volitantia ſomnus)
Improviſus adeſt media teſtudine templi
Xaverius, tunica, ut quondam, ſpectabilis alba:
Singulaque admirans, *Satis eſt*, exclamat, & omnis
Reſponſat, *Satis eſt*, late locus: alta Tonantis
Regia, Xaverio carmen præeunte, viciſſim
Sacram iterat vocem; *Satis eſt*, juga ſancta Sionis;
Et *Satis eſt*, ſtellæ; *Satis eſt*, ipſique remittunt
Artifices ſuperi. Cunctis Amor obſtitit unus,
Nec *Satis eſt* dixit: contra ſed rettulit unum
Amplius: aſſenſere omnes, atque amplius una
Voce ſonant. Ergo juvat inſtaurare labores
Acrius, atque novum decori decus addere primo;
Si quod adhuc ſupereſt arti decus: ire colorum
Pars amat in fucos, pars ſculpere ſaxa figuris,
Ignotæque animant mortalibus omnia formæ.
Amplius interea ſuperis in collibus unum
Erangitur in dulces modulos, interque laborem
Aſſiduo reſonat cantu. Quo carmine moti,
Ad numerum lapides (quondam ut mentita vetuſtas
Credula Dircæis feciſſe Amphiona terris)
Sedibus exiliere ſuis: cæleſte choreas
Marmor agit; ſaltu tolluntur grandia ſaxa
Compoſito, ſaxiſque ultro ſe grandibus addunt,
Nec requies lapidi datur, injuſſoque labori;
Donec ſtent nova tecta, & templi limina circum
Atria porticibus ſurgant prætexta ſuperbis.
Omnia cælicolæ divinis artibus augent,
Incumbuntque operi. Media inter talia, pennis
Aſtitit allabens Subleto, & talibus ora

Solvit Amor dictis: Surgunt opera incly cælo,
Quæ terris imitere: ſatis mea Francia templis
Hac caruiſſe tenus, ſatis alta Lutetia ſivit
Xaverium: tecum hic labor eſto: debita templa
Franciſco, Franciſce, para: ſic fixa voluntas
Sortibus æternis. Neque tantum nobilis oti
Regibus indulgere juvet, regumque profanis
Sedibus; ut deſit Divis, ædiſque ſacratæ
Nil vacet ad curas. Pars maxima nobilis auſus
Ipſe adero, cœpti dux & comes: ipſe ſuperbi
Dicam operis leges: ſuperas Amor uſque ſub arces
Xaverii tollet delubra, tuoque labori
Magnificus Divum cedet labor. Hæc ubi fatus,
Nectare perfuſam ardenti ſub pectora tædam
Fixit, & in tenuem cum ſomno evanuit auram.
Ut rediit longo ſibi redditus intervallo;
Vertitur huc illucque, amiſſaque gaudia quærit,
Suſpirans: & qui ſomnos prius oderat omnes
Impiger, hunc tandem potuit Subletus amare;
Et fugiſſe dolet: Sequor en tua, maxime Divum,
Juſſa volens, ait, O Amor! o cæleſtia templa!
O lapides, fabrique domus! nec vana fuere
Somnia, nec portis emiſſa nigrantibus Orci.
Urget adhuc fixus mediis penetralibus ignis,
Urget Amor ſtimulans: dictique haud immemor unquam,
Promiſſique tenax, ultro ipſe fabrilia verſat
Arma; moræ impatiens, & qualis in æthere viſus.
Hinc ſtetit illa recens, tot ſtructa laboribus ædes,
Nec, *Satis eſt*, Divi ſacra ſymbola, parte nitentis
Una extare domus valuit; ſatis eſſe labori
Nil ſibi fingit Amor: juvat, ut per ſomnia Divi,
Amplius æternis templo decus addere curis.
Hæc cineri quondam, ſi te cinis ullus habebit,
Mauſolea tuo, Sublete; hæc templa paraſti

Xaverio: quoque hunc ferres ſuper æthera, templa
Surgere juſſiſti nitido ſuper æthera cultu.
Utque tibi ſedes humiles, humileſque ſepulcri
Aptares latebras, obſcurumque oſſibus antrum:
Sub terras eadem majori condita mole
Defodis, & nigros ſubeunt fundamina manes.
Nil agis hac operum impenſa: dum mole ſuperba
Infertur ſuperis, iiſdem te ſedibus infert
Magna domus, ſupraque volas: & nuntius aſtris
It ſublimis apex, quam nil tua manibus imis
Debeat, illa polo promiſſa ac debita virtus.
Hic tamen, hic arcto ſub fornice clauſa profundis
Oſſa cavis ſervabit Amor. Dum vivis, Amorem
Corde locas medio: cor ſedibus ille locabit
Poſt tua fata ſuis; aſſuetuſque urere, functum
Uret adhuc, talique adolebit numine flamma.
Fulgebis pulchra ſub lampade pulchrior ignis, a
Sis licet extinctus: cinerem neque nobilis ullum
Urna teget, niſi qui flamma ſit natus Amoris,
Clarior igne cinis: rogus hic erit unicus, artus
Qui cremet impoſitos, clari lux maxima templi;
Incluſus licet, ac frigenti marmore preſſus.
Hunc Amor æternum ſervabit in ædibus ignem.
Quique facem hanc tumulo poſitam ſpectabit: Humatus
Hic prope, dicet, Amor. Nec eum ſententia fallet.
Condentur tumulo Subletus Amorque ſub uno.
Poſteritas hoc ſera canet: lapidemque nepotes
Veſtibulo, lapidique addent memorabile carmen:
QUI FACIEBAT AMOR, PATET EXTRA;
CONDITUR INTUS,

a *Ejus tumultus eſt ſub templi lampade.*

PUER JESUS
IN MEDIO DOCTORUM.

Opus Stellæ *pictoris in eadem baſilica Xaveriana.*

Anno cIↃ IↃ c. xlii.

ORe favete omnes, fatur Deus. Ecce verendo
Stat vultu puer, attonitiſque oracula fundit
Patribus: aſpectu puer atque impubibus annis,
Majeſtate Deus. Mutus color edere voces
Cernitur ingenuas: aures ſi fallere poſſet,
Fallere vox oculos intentaque lumina poſſet.
Vox certe, vox illa Dei eſt. En ore loquentis
Pendet hians, pronaque bibit ſacer aure ſenatus;
Et voces amat, & cæli reſponſa fatetur.
Nec me vana fides, aut mendax ludit imago:
Agnoſco ſedeſque patrum, Phariſæaque ſepta:
En ubi conſilium ſacris de rebus agebant:
En magni Salomonis opus, domus alta Tonantis,
Cara Deo ſedes; qua non auguſtior ulla
Aut priſcis fuit, aut ſurget venientibus annis.
Hanc & ab integro faber eſt molitus Apelles;
Nec clamor fabricantum, aut ſerræ ſtridor acutæ,
Tympanaque, trochleæque, aut crebro malleus ictu
Inſonuit; ſtetit, ut quondam, ſacra regia pacis;
Pulſibus & nullis, & nullo ſtructa tumultu.
Artificis tantum valuere imitamina dextræ.
En etiam, en ſævum tridui ſolata dolorem,
Erroreſque viæ varios, audire docentem
Ardet amans genitrix; juxtaque fabrilia geſtans
Arma, Dei ſenior cui credita cura regendi:
Seque alacres ambo (quanquam eſt audire poteſtas
Paupere ſub tecto) turbis mirantibus addunt:
Defixiſque inhiant oculis ad cuncta, ſtupentque,
Et dantem reſponſa, & legum arcana moventem.

Parte alia exultant, & lene frementibus alis
Siderei applaudunt proceres: mirantur & ipſi
Fulgura miſſa oculis, & parvæ fulmina linguæ.
Sic oculos hominum rapit unicus, oraque Divum,
Divum hominumque ſator Divus puer. Hæc tibi forma
Ante alias placuit, Sublete: hoc ore docentem
His juſſiſti oculis, hoc pingi ſimplice cultu.
Et potuit merito tabulæ ſubſcribere pictor
Auctorem Subletum: operis nam linea ducta
Te ſine nulla fuit: dictabas unicus auctor
Singula, & ingenium artificis radiumque regebas.
Unus agebat amor templis efferre ſuperbis
Doctorem puerum, talique efferre figura;
Qualis adeſſe tibi ſolitus, quum ſacra volutas
Interiore domo, curiſque excedere juſſis
Grandibus, in Jeſu mens uno fixa quieſcit,
Voce unum votiſque vocans: namque ocyus ille
Advolat, ambroſiiſque premens amplexibus hæret
Et docet intentum, cælique arcana recludit.
Te duce talem oculis Jeſum mortalibus offert
Ingenioſa manus; nec, quo pridem uſus Apelles,
Vulgaris tabulam tinxit color: illita longe
Hinc decuit pigmenta, levemque abſiſtere fucum;
Lucis opus totum eſt: hos fudit *Stella* colores
Scilicet, has duxit radio ſolerte figuras.
Hinc fulget, longumque adeo fulgebit imago
Æterni doctoris. At hæc non lucida tantum,
Sed vocalis erit; clara & ſpectabilis Echo,
Divinam oſtendens manifeſto in lumine vocem.
Quippe quod æterno ſemel eſt Deus ore locutus,
Ante dies primos & prima crepuſcula, Verbum
Sæpius hæc oculis referens iterabit imago.
Subletum canet una, Deumque loquetur imago.

CAROLI

CAROLI GONSAGÆ
MANTUÆ ET NIVERNI DUCIS
APOTHEOSIS

NIVERNI AN. CIϽ. IϽC. XXXVII.

NIVERIDES Muſæ, nunquam in ſuſpiria triſtes
Ibitis? heu feræ nimium! numquamne licebit
Dulcibus infandum lacrymis lenire dolorem?
Heu! quoties orbem radiis Aurora retexit
Triſtior; erepti cum funera ſæva parentis
Flebilibus lugere modis, elegoſque per omnes
Ire decet: veſtro jamdudum creſcere fletu
Debuerat Ligeris, multoque tumentior imbri
Nuncius Oceano tanti properare doloris.
Quæ mora Pierides? quæ tanta oblivia Nymphæ?
  Hæc ego, conceptum fallens ad nota dolorem
Flumina, dum Phœbus melior ſinit. Audiit omnis
Nympharum chorus: ipſe lacu caput extulit alto
Corniger, informi redimitus arundine frontem
Atratus Ligeris: liventes contegit armos
Squalida canities; limo turpata madeſcunt
Cornua; perque genas, per & ora natantia rivi,
Pullatoſque ſinus, longo circum agmine currunt.
Et prior: O noſtris, inquit, comes addite curis,
Perge modo; & lacrymis heroa urgere ſepultum,
Ereptumque ducem populis, nunquam arida ceſſent
Lumina: funeſtos memorent tua carmina caſus,
Dum memor ipſe tui; Garamaſque, extremaq; Thule
Audiat, & tanto fluat omnis pagina luctu.
Sed ſi tantus amor: juvat inſtaurata tueri
Funera, quæque parat triſtis ſpectacula pompæ
Mantuadum pietas; tardis ubi flexibus errat,
Fraternaſque piger devolvit Mincius undas.

Auſpice me tranabis iter: perque invia regna,
Liquenteſque ſpecus, vidiſſe Bianoris urbem
Triſteſque inferias dabitur. Nec plura locutus,
Mox undam fragili calamo ferit: unda receſſit
Hinc procul atque illinc, liquidiſq; incurva pependit
Fornicibus; penituſque humentia ſtagna pateſcunt.
Ille manu accepit metuentem, amneſque ſub altos
Intulit arridens. Tum fluctibus unda reductis
Sternitur, & planum ſibi reddita ſidit in æquor.
Poſtquam introgreſſus; rapidos pater ipſe, natantum
Ex omni numero, bijuges legit: inde lupatis
Indociles domat, & currus conſcendit eburnos,
Pone ſequor ducente Deo: ruit impete currus
Humida per ſpatia, & rapidis volat ocyor Euris:
Qua graditur facit unda viam. Jamq; omnia linquit
Flumina; quæ magnas ſubter labentia terras
Cognatis ſociantur aquis: Niverimque, lacuſque
Elaverine tuos: Ararique a ſegnibus undis
Creſcentem Rhodanum; quo non violentior alter
Saxoſum ſonat, & rapido ſubit æquora fluctu.
Inde rapacem Iſaram, & te mollibus inclyte ripis
Duria, vos vitrei pellucida ſtagna Ticini:
Mox piſcoſum Olium; taurinoque ardua vultu
Cornua rorantem Eridanum, ſtillantibus auctum
Heliadum lacrymis, rapido rota præterit axe.
Ventum erat ad fontes, ubi patris regia Minci
Parietibus vitreis rutiloque argentea fulget
Vertice: juxta hilares horti, pendentiaque antra
Pumice conſurgunt vivo; quo feſſus ab æſtu
Se recipit pater. Hic muſcoſa ſedilia circum
Inſtabant operi, deductaque penſa trahebant
Minciades Nymphæ: quas inter candida Manto
Ambroſio ſuperans cantu quos paſcit olores,
Non gemit indulgens elegis, non queſtibus inſtat,

Incuſatve Deos, aut mœſto funera planctu
Proſequitur; narrat ſuperis heroa receptum
Sedibus, & pleno calcantem ſidera greſſu
Indigetem Carlum. Quo captæ carmine Nymphæ
Cæruleam Carlo trabeam, immortaliaque urgent
Tegmina: pars multo telas diſcriminat auro;
Cæſareaſque aquilas, cognataque lilia docta
Pingit acu; pars & radiantia murice texta
Ambroſiæ ſuccis & odoro nectare tingit.
Interea motoſque lacus, curruſque ſonantes
Audiit, & noti properavit in oſcula fratris
Mincius: una omnes cantu penſiſque relictis
Exiliere Deæ, Ligerique dedere ſalutem.
Obſtupuit ſiccaſque genas, & feſta Dearum
Gaudia miratus Ligeris; quem Mincius ultro
Increpat: O gravibus nequicquam exercite curis,
Parce queri; procul hinc feralis tænia pompæ,
Funereique habitus: aut credo numina nobis
Falſa Deum, Carlique pores neſcire triumphos?
Vivit io melior, nil debens manibus imis
Carolus, heroaſque inter ſuperoſque recumbit.
Ergo alacris ſuperoſque tenet Nymphaſq; voluptas.
Seu quæ fluminibus, ſeu quæ verſantur in antris;
Magnanimumque ferunt promiſſa ad ſidera Carlum.
Præcipue, qua ſe Mantoa palatia tollunt
Æmula ſideribus, tantos gratantur honores
Diique Deæque omnes: certatimque atria circum
Admiranda parant. Dictis dum talibus inſit
Mincius, optata confuſus imagine rerum
Vix ſeſe ipſe capit Ligeris: tam dulcia gliſcunt
Gaudia, & attonitos replent dulcedine ſenſus.
Emicat impatiens: juvat ire, & præpete curſu,
Seu qua Niveridas, ſeu qua præterfluit Andes,
Inſperata ſuis miracula pandere Nymphis.

Unium oro, noſtrum per feſta palatia vatem
Deducas, inquit, Manto ſoror: ille per auras
Munera lætitiamque Deum quondam alite verſu
Tollet, & in ſeros edet tranſmiſſa nepotes.
Sic ait, & celeres fugiens detorquet habenas
Alipedum, volucrique petit ſua regna recurſu.
Continuo arriſere Deæ, nec plura morantur
Naiades; ipſa mihi læta ad ſpectacula Manto,
Auſonias inter Manto pulcherrima Nymphas,
Dux cupit eſſe viæ: Dabitur ſpectare quod optas
Hoſpes, ait. Nodoque comas collecta fluentes,
Ocyus & thalamos & ſtructa cubilia muſco
Deſerit impatiens, & in aëra prodit apertum.
Et jam Marmoreas oſtentat Mantua turres,
Optataſque arces, & ſummi tecta palati:
Auditur ſtrepitus gradientum, & magna viarum
Stridentes per ſtrata rotæ: procul aſſonat Echo
Tergemina, & pulſæ reboant toto æquore valles.
Imus inoffenſi in medios: quippe aëre Nympha
Sepſerat obſcuro, & nebulæ velarat amictu.
Jamque adeo Gonzageæ ſuccedimus arci
Minciada monſtrante viam. Qua lumina flecto
Suſpenſoſque gradus, oculos opera inclyta raptant.
In foribus reges atavi, cœlataque in auro
Fortia facta ducum, Quos inter maximus omnes
Eminet, inſultantis equi molitus habenas
Carolus, & docto effigies in marmore vivit.
Tum Manto (neque enim paſſus conſiſtere Divam
Eſt amor) ille, vides, grato qui pondere geſtit
Magnanimus ſonipes, faſtuque tumeſcit Ibero;
Æthere fluxit opus, manibus ſuper æthera fictum
Palladiis facilis Divæ mirabile donum,
Quippe ubi Teutonicos & Iberum Carolus hoſtem
Fudit agens, hoc ferre ſui Dea pignus amoris
Victorem dedit: hic tanti monumenta laboris

Servat honos. Victrix advelat tempora laurus;
Dextraque paciferæ ramum prætendit olivæ,
Sanguineas exoſa notas: ut fronte ſerena
Plurimus horreſcit Mavors! ut gratia torvis
Luminibus nitet! ut faciles ſeſſoris habenas
Magnanimus patitur ſonipes! vix ungula molem
Subjectam terit una: jubas errare putares
Ad Zephirum, & poſitos glomerantem attollere greſſus.
Sub pedibus, captiva gemit, centumque revincta
Poſt tergum nodis rabidos Germania rictus
Grandibus humectat guttis, victamque fatetur
Indignata licet. Circum atria, & ardua longe
Porticus, & picto patuli ſub fornice poſtes,
Mille micant ſpoliis: captivi ex ordine currus,
Scutaque, thoraceſque, & tela trabalia pendent.
Imo age, plura vocant, inquit Dea: limine primo
Defixos hæſiſſe nefas; ſunt atria magnæ
Perluſtranda domus, queis, non penetralia certent
Attalidum, aut magnæ jactata palatia Romæ.
Illic Aonides, tua maxima numina, Muſæ
Alta triumphalis ſtatuere inſignia pompæ,
Omnia ſublimi Carlum tollentia cælo.
Hæc dum Nympha monet, jam longa ſub atria miſſi
Mygdonias calcamus opes. Stupor urget inertem,
Quo me cunque feram: revocant ſpectacula retro,
Si gradior, rurſuſque volunt jam viſa videri;
Si maneo, nova monſtra vocant. Dum talibus amens
Hinc feror atque illinc, & dulcibus æſtuo curis;
Incertus quæ prima oculis, quæve ultima luſtrem:
Increpat, atque ima irrumpens penetralia Manto
Auratas pandit bifores; patet aurea ſedes;
Gemmea cui facies, gemmæ lapis, omnia gemmæ,
Tum Dea; Picta vides magni cunabula Carli:

En, ut multiplici ſpumantem flectere gyro
Cornipedem, & vacuas impellere gaudet in auras;
Hoc opus Uraniæ; tenues quæ lapſa per auras
Exortum coluit ſidus; quo pulchrius ullum,
Nec fugiente cadit, nec Sole cadente reſurgit.
Aſpicis ut manibus Charites, gremioque cadentem
Excipiunt; finguntque artus decorique futuro
Accingunt teneros & mollia pectora formant.
Quæque ſuum miratur opus. Vult torvus ineſſe
Luminibus Mavors, vult blandus ineſſe Cupido.
Fecit utrique ſatis fingens Dea: partibus æquis
Hinc Amor, hinc ſedit Mavors; belliquè refulſit
Gratia mixta notis. Sic Phœbum dulce nitentes
Naſcentem primo radii cinxere ſub ortu.
Sic oculos forteſque manus, ſic membra ferebat
Ardua, cum geminum eliſit Tyrinthius anguem
Jam tener, & primis domuit monſtra horrida cunis.
Talia magnanimi herois cunabula felix
Pinxerat Uranie: tali mihi carmine Manto
Monſtrat agens, textumque haud enarrabile pandit.
Parte ſub adverſa, qua ſeptem obverſa Trioni
Porgitur, adverſamque adſpectat deſuper urbem
Alta domus: primos Carli deſcripſerat annos
Melpomene, ludoſque, & non imitabile robur
Creſcentis pueri. Non illum mollibus herbis,
Et liquidos inter peregrini Gangis honores,
Blanda fovet mater. Cernis quam ſedulus ambit,
Nec patitur curas genitor Lodoicus inertes:
Jamque aptat galeam, & rorantes ſanguine criſtas:
Jam clypeos, taboque tepentia tela recenti,
Conſertamve hamis loricam; aut enſe volentem
Accingit; ponduſque levat: Jam bella ciere,
Jam tædas jactare docet; ſimulataque veris
Mœnia diruere; & congeſtas ceſpite turres.
Inde ubi firmavit recto veſtigia greſſu:

Ut plaudente polo ſurrexit ad aurea lucis
Limina, vitaleſque in luminis exiit auras.
En, ut ſenta ſitu denſiſque horrentia dumis
Saxa per, & valles, vario certamine corpus
Durat; & horrentis ridet ſpirantia Cauri
Frigora, flagranteſque æſtivi ſideris ignes.
Tum tranare lacus, curſu prævertere ventos
Fert animus: ludi procul atque ignava faceſſunt
Otia, major agit decora ad majora cupido.
Hæc ubi proſpectaſſe datum eſt, perque omnia curſim
Intentos volviſſe oculos: excedere juſſit
Diva loco, atque aliam confeſtim abduxit in aulam.
Aula ſuperba, ingens, adverſæ ſtagna paludis
Deſpicit: & vernis iter ad penetralia pandunt
Solibus, intextæ gemmis auroque feneſtræ.
Illic ſanguineas acies effinxerat auro
Aurea Calliope, vetereſque ex ordine pugnas.
Longa operum ſeries longis contextibus ora
Detinet. Hic campis hoſtes aggreſſus apertis
Disjicit: hic celſas irrumpit victor in arces
Carolus, & ſævis Mavortius intonat armis.
Talis erat; cum felici ſubeunte juventa,
Nec roſeas prima tectus lanugina malas,
Ingenti auxilio Cameraci mœnia fovit.
Circum acies, circum tormenta ſonantia, clauſos
Obſedere auditus: jamque inſediſſe ſupremos
Captivæ cineres urbis conclamat Iberus,
Telorum oſtentans ſegetem, confertaque caſtris
Millia; quot Phrygios nunquam cinxere Penates.
At non oblitus pugnæ verique laboris
Emicat, & medios irrumpit Carlus in hoſtes.
Vix trepidi fulgentem armis, & acerba frementem
Conſpexere duces: illi, ceu nubibus inſtent
Cælicolæ, inque feros olim jactata gigantas

Arma omnes moveant; per & hoſtica tela, per ignes
Diffugiunt viſu exangues, ruptiſque moventur
Ordinibus; pars & ſternuntur inertia leto
Corpora; quaq; enſem juvenis rotat, omnia cedunt.
Ac velut inclusus terræ penetralibus altis
Tum latet, aut ſcopulis, aut carcere preſſus aheno
Sulfureus pulvis: tenuem ſi rimula flammam
Detulit, injectoſque accepit fervidus ignes;
Exilit impatiens, indignatuſque teneri
Quærit iter: ſubverſæ imis a ſedibus arces
Diſſiliunt: unus tot cladibus emicat ignis.
Tantus in obſtantes juvenis ruit acer Iberos
Inſultans, opibuſque urbem ſolatur amicis.
Nec procul Hungaricas deſcripſerat ordine pugnas
Euterpe: ſtant barbaricis horrentia pilis
Agmina, fulminea ſtant æra tonantia flamma.
Ille per & gladios, ſtridentiaque aëre tela
Ottomanum, rapidaſque faces, glandeſque ſonoras,
Irritat cædes interritus, armaque jactat
Francica: Mercorius comes emicat; optimus unus
Rumpere Threicias acies, & vertere fundo
Oppida: magna volant paribus duo fulmina pennis,
Horrendumque tonant mediis in cædibus: & jam
Albanæque tremunt arces, Javarinaque nutant
Mœnia. Dum fixos oculos per ſingula duco;
Et magis ardeſcens, iterumque, iterumque tueri
Fert animus: ſtrident bifores, & cardine verſo
Improviſa ſubit Muſarum ſanguinis una
Arridens Erato. Miror; miratur & ipſa
Virginis os habitumque ſoror fluviatica Manto.
Tot vultu ludunt Veneres, tot blanda colorant
Labra, roſæ: circum aligeri ſociantur amores;
Multaque textilibus calathis, & lilia fundunt
Multa manu: indociles errant per colla capilli;
Quo Zephyrus vocat, afflantiſque Cupidinis aura.

Tum prior; Et noſtras heroi impendimus artes;
Ingredere o, tantum neu dedignare laborem
Tu ſoror, & noſter ſcripturus talia vates.
Sic ait, & notos properat monſtrare receſſus.
Limine ſub primo, gradibus patet ampla reductis
Area, qua molles via fert acclivis ad hortos,
Ingentes Heroum hortos; ubi verna Favoni
Aura tepet, Boreæque timent ſævire furores.
Illis non vigili pomaria culta dracone
Heſperidum, non Phœacis viridaria certent
Alcinoi, non quæ vacuas librata ſub auras
Jactavit mendax Babylon. Stat maxima moles
Aëre conſurgens medio, ſummiſque laceſſit
Aſtra comis: pendere polo latera ardua credas.
Circum Dædaleo excurrunt topiaria nexu
Flexibus implicita innumeris, lauroque refulgent
Intexti flores, victrix habet omnia laurus.
Porticus in medio gelidos tranſverſa Triones
Reſpicit. Hic Erato portis oſtendit apertis
Felicem Carli thalamum, molleſque hymenæos.
Ergo iras poſuiſſe & belli exorſa videtur
Magnanimus Lodoiciades. Non ſanguine pictæ
Sordeſcunt veſtes, non pulvere crinis honeſto:
Ipſe Cupido vetat pugnas, ipſe arma volenti
Surripit, ipſa oculis lætos Venus afflat honores
Lætior, & molli fingens crinem implicat auro.
Hinc Idalios aperit Catharina decores,
Candentes accenſa genas: ſi caſſida geſtet,
Pallas erit; ſi tela ferat, Titania Phœbe.
Errat amor, matremque putat: gens omnis amorum
Fallitur obtutu, & matrem de nomine dicit.
Ergo pars plaudunt choreas; pars myrtea lætis
Serta toris, Paphiaſque roſas, & lilia fundunt.
Se quoque tot Divas inter Chariteſque puellas,

Addiderat pingens Erato, genialia doctis
Carmina tentantem fidibus: ſalit aurea turma
Ad numerum; te mollis hymen, hymenæe, ſalutans.
In medio formoſa Venus: non illa pudorem
Quæ fugat, & furtis inſanum paſcit amorem;
Tunc didicit, cum divinos ſociaret amantes,
Eſſe pudica Venus; vultuſque imitata maritæ,
Caſta verecundis indixit baſia verbis.
Inde ubi promiſit partus Lucina ſecundos,
Pronubaque arriſit Juno, thalamiſque jugales
Colluxere faces: hinc Æthus, & inde Pyrautes,
Ambo præſtantes telis, atque arcubus ambo,
Aurata volucrem pharetra prompſere ſagittam
Nectare perfuſam multo; petit ille maritum,
Hic nuptam petit, alma Venus determinat ictus;
Tela volant, paribuſque urunt præcordia flammis.
Hæc dum ſolliciti legimus; mirabile textum
Ipſa canit narrans Erato, vocique maritat
Ingenioſa fides. Non ſic cum ſaxa trahebat
Iſmaria, immiteſque umbras Acheronte movebat,
Aurata luſit cythara Rhodopeius Orpheus:
Non tali pandos mulſit delphinas Arion
Carmine, nec tantum gaudet Parnaſſia rupes;
Dum canit, Et victum Pythona renarrat Apollo.
Obſtupui. Hine blandis raptæ concentibus aures,
Hinc tabulis inhiant oculi: mens fluctuat anceps,
Quo ſe deinde ferat, quæ ſe ad miracula verſet.
Inde ubi viſa ſatis thalamos eccinifſe pudicos;
Finiit, & tenues Erato diffugit in auras.
Parte ſub oppoſita brumales reſpicit Euros
Porticus, & multo contexta adamante refulget;
Scrupeaque in rupis morem, variataque conchis
Oſtentat latera. Hic dextra ſolerte Thalia
Egregiam Carli ſobolem; tres ordine natos
Sculpſerat, & totidem præſtanti corpore natas;

Hinc genitrix, illinc genitor Lodoicus honeſtos
Gratantur thalamos, claraque propagine gaudent.
Stant magnæ circum effigies, & pulchra coronat
Turba locum. Qualis ſedet omnipotentis Olympi
Vertice ſacra cohors ſuperum; ſi forte vocavit
Concilium pater, & ſtellata per atria cœtus
Irradiat: talis cœlaris gloria ſignis,
Primus ibi aurata Franciſcus imagine fulget,
Præcoce quem fato mors abſtulit. Unica deinde
Lux generis, patri par vultu & nomine Carlus:
Dextrum ſponſa latus, lævum tenet aurea proles;
Auſoniæ ſpes magna domus. Prope Maynius aſtat:
Fernandum dixere: ſedet regalis honeſto
Vertice majeſtas, & ſi qua fata tuliſſent,
Non impar magno potuit regnare parenti
Omnes Carolidæ; fatis immitibus omnes
Erepti populis, & jam ſupera alta tenentes,
Divum interque epulas & Divi baſia patris.
Tu quoque formoſas inter Maria ſorores
Pulchrior aſſurgis: triſti ceu noctis in umbra
Sidereos inter Phœbi ſoror emicat ignes.
Inde colorato veſtem circundata limbo
Cæruleam, nivibuſque genas ſuffuſa rubentes
Anna ſoror: vultuque nitens Benedicta pudico.
Illæ magnanimi crudelia fata parentis
Unanimes, etiam frigenti in marmore lugent.
 Itur in adverſum limen, quo mœnia docta
Sculpta manu, Patioque arces e marmore ſurgunt:
Terpſichore celarat opus. Tum candida Manto:
En Carli monumenta vides, en condita dudum
Mœnia, quamque ſuo voluit de nomine dici
Carlopolin. Vide n' ut domibus decorata ſuperbis
Eminet Auſoniæ ſedes etiam æmula Romæ?
Inſtant ardentes operæ; Dux emicat ingens
In mediis, conteſque & propugnacula jungit.

Artifici vallata manu: modo mœnia circum
Dat foſſas, aptat portarum ingentia clauſtra
Cardinibus, multoque educit robore poſtes.
Marmoreos etiam ſudor (quis credat?) in artus
It ſudor, frontemque lavit: dum fervida muros
Molitur manus, & pinnis atque aggere cingit.
Hic etiam, hic magnis delubra ingentia Divis
Erigit: hic doctos tibi enim, tibi maxime ſacrat
Phœbe lares; ubi te Muſis operata juventus
Et colere & ſacras adoleſcere diſcat in artes.
Illic, Aonides ſi tangit gratia Muſas,
Carli vivet honos: & dum cælo æmula ſurget
Mantua, ſtelliferos dum Sol reget igneus orbes;
Stabit ſideribus ſolidoque perennior ære
Carlopolis, Carlique feret ſuper æthera nomen.
Inde alias trahit atque alias Mantoa per aulas,
Omnes ferali velatas ante cupreſſo
Funereiſque notis: ſed enim hoc conſiſtere luctu
Diva vetat, Carlique jubet meminiſſe triumphos.
Parte domus media, gradibus qua ſurgit in altum
Marmoreis; altos conclave incumbit in hortos
Fornicibus geminis, illic Polyhymnia plano
Pariete, tendentem Romana ad mœnia greſſus
Scripſerat heroëm. Stant omnibus obvia portis
Oppida: conſurgit ſenior dominumque ſalutat
Eridanus, qualem mendax finxiſſe vetuſtas
Dicitur; hirſuto credas extantia vultu
Cornua, & auratis volventia fluctibus undas.
Inde ubi Romuleis propior ſuccedere muris
Viſus; & Auſoniam ſparſus veniſſe per urbem
Rumor iit: rapidum nullo diſcrimine vulgus
Tendit in occurſum: longo denſata receſſu
Apparent capita; & fluctus imitata tumentes,
Aut refluunt retro, aut iterum pulſata recurrunt.
Aſt ubi quæſitæ apparent ſpectacula pompæ,

Aſpicis ut ſtudiis (inquit Dea) dulcibus ardet
Circumfuſa manus ; micat in tot millibus heros
Arduus incedens , & toto vertice ſupra eſt
Affuſos proceres : gemmis inſtratus & auro
It ſonipes , terramque aurata calce fatigat.
Necnon & nitidi ſtipant longo ordine centum ,
Argento queis ſtrata rigent , argentea fræna ;
Pro chalybe , argento nitet ungula ; ductilis auro
Lamina laxa ſonat , vixque uno pendula morſu
Nectitur ; hinc paſſum vicos excuſſa per omnes
Excidit. Arridet blandum rapientibus heros ,
Ipſe acuens , furtique auctor. Quin divite dextra
Sparſa metalla cadunt : vomit aurea Carolus unus
Flumina ; ceu quondam Rhodiis naſcente Minerva
Prodigus auratos indulſit Juppiter imbres.
Hæc ubi proſpexi : Supereſt, ait aurea Manto,
Ultima pars operis ; legit quippe ultima Clio ,
Ultima , ſed primis nil decedentia textis
Pieridum. Modico patet ingens aula receſſu ,
Aurea , Cardinibus bifores vertuntur in aureis ,
Auro ſtat paries , auro laquearia fulgent.
Hic vero , hic trepidi caligant lumine viſus.
Namque triumphatas acies victriciaque arma
Pinxerat : ut populus traxit ſub jura volentes
Magnanimus Lodoiciades , dominumque ſalutat
Mantua : contextis radiant opera gemmis. omnia
Hinc fugit attonito cum Teutone miſtus Iberus ;
Per[illegible] fuga , Alpinaſque nives , abruptaque ſaxa
Præcipitant : fugit ipſe amens Collaltius heros
Cum gemitu , caſſaſq; Aquilas , fracta agmina luget ,
Parte alia micat auratis Lodoicus in armis ,
Borbonides , Henriciades , Alpina fatigans
Saxa ferox : illum paribus Victoria circum
Nixa volat pennis , lauroſque & lilia fundit,
Illo per ſcopulos per mille inſtantia tela

Auſpice tendis iter,domitoque ex hoſte triumphas
Carole. Proh.! qualis(ſuperi!)quantuſque rebelles
Victor agis turmas! quibus occurrentia paſſim
Oppida gratantur ſtudiis! ut læta ſuperbit
Heroi meritas affundens Mantua lauros,
Aureaque intextis onerans diademata gemmis.
Hoc opus, hæc dederat victori inſignia Clio.
Et jam defuncta media plus parte laboris
Cedere Diva jubet, quæque hic miracula vidi,
Heroiſque decus venientibus edere ſæclis.
Cum ſubit, & lacrymis oculos ſuffuſa nitentes
Approperat molles Elegeia ſparſa capillos.
Illa ſuos (neque enim potis eſt ingrata videri)
Triſtis Apellæa deſcripſerat arte dolores;
Ingentemque pyram, geminaſque ſacraverat aras
Funereis mœſtas vittis. Jam triſte videri
Poſcit opus, molleſque elegos pede tardior uno
Triſtis obit. Tales indignans aurea Manto
Manibus inferias, dictis ita fatur amaris:
I porro, neque te ſolitos incendere luctus
Fas, ait. I, mollis claudo pede nænia ploret
Degeneres animas; quas magnæ laudis egentes
Atra tulit ſine honore dies, merſitque ſepulchro.
Illum æterna quies caſſum mortalibus auris
Cæleſti fovet ambroſia: nec fletibus ullis
Indiget, aut alios reddi ſibi poſcit honores.
Vix ea, cum blandum ſubridens advolat Hebe
Hebe Divarum pulcherrima. Ridet eburnis
Majeſtas accenſa genis, lumenque juventæ
Purpureum: radiat fulgenti nexilis aſtro
Cæſaries; fluit ambroſiis palla aurea ſuccis:
Immo age; ſed noſtris, inquit, penetralibus hoſpes,
Succeſſiſſe juvet; dabitur ſpectare triumphos,
Quos planctus turpavit iners. Sic fata, reducto
Exiliit pede, quaque amplo patet aula receſſu,

Ipſa fores aperit, penituſque intrare ſuburget.
Illic æthereas curru ſubvectus in arces
Carolus, edomita victor de morte triumphat:
Lactea ſidereo qua panditur orbita tractu.
Hac iter egregiis animis, quos aurea terris
Sors tulit. Ut multa diſtinctus jaſpide currus
Irradiat, volucreſque rotas adamantinus axis
Continet! ut gemmis radiorum argenteus orbis
Innumeris micat! ut clavorum vertitur ordo
Gemmeus! ut blandos temo vomit aureus ignes!
Cernis, ut arrecta rutilam cervice curulem
Felices aquilæ, magnæ ſacra pignora gentis,
Dulce jugum ſubeant: apicem queis penna colorat
Verſicolor; flavoque caput diademate fulget.
Aſſiſtunt, manibuſque ardentem lampada quaſſans
Relligio, juſtamque gerens Aſtræa bilancem,
Hinc atque hinc; altoque ſedent temone volentes.
Pone, caput viridi cingens Conſtantia lauro
Aſſidet, aurataque fluens Victoria palla;
Exin turba minor: feſto chorus omnis ovantem
Proſequitur pompa. Quin & victoris honores
Certatim gratata nitent, radiiſque coruſcant
Aſtra novis. Triplici gaudent procedere verſu
Gonzagæ indigetes, palmaque oſtroque decori
Lætitia plauſuque fremunt, Carlumque coronant
Unanimes. Sonat omnis io, ſonat omnis amico
Nomine magna domus: Divumque per atria nectar
Effuſis fluitat rivis. Viden æthere ſummo
Ut Carli petit amplexus, ut dulcia libat
Oſcula, Rex hominum? & crines diademate cingens
Dat Phœbi ſuperare vias, radiataque ſupra
Limina ſublimem ſolio luceſcere ab alto.
Sic mihi pandebat Manto ſudata Deabus
Munera Caſtaliis: cum ſenſim invectus Olympo

Veſper adeſt, rebuſque aufert nox atra colorem.
Cedimus inviti, retegat dum proximus orbem
Lucifer, humenteſque fuget Sol aureus umbras
 Interea, dum plura novo tuus ordine vates
Molitur, ſeſeque opera ad majora reſervat,
O Pater! o Divum ſator! & ſate ſanguine Divum:
Sis felix, & dextra tuis fer ſidera cælo,
Quæ te cumque tenent; medio ſeu regia cæli
Orbe capit; ſeu Parrhaſia ſublimis ab arcto,
Aſpicis orbatæ Soles luceſcere genti
Quanquam ades o, mediaque tui plus parte ſuperſtes
Vivis io, vivit magni genitoris imago
Maxima progenies, majuſque in nomen itura:
(Sic nam fata monent) populos Maria volentes
Æternum reget, & placida ditione tenebit.

LUDOVICO BORBONIO
ENGUIENNENSIUM DUCI,
NUNC PRINCIPI CONDÆO.

FAMA LAUREATA,
PRO EXPUGNATA THEODONIS-VILLA.
ANNO CIƆ. IƆC. XLIII.

Viciſti Lodoice, manumque experta tonantem,
Gens inimica jacet: celſas Hiſpania turres
Invictæ prius urbis & inſuperabile culmen
Submiſit victori, ac flexis prona ſalutat
Verticibus centum. Multum tua dextera vicit:
Plus vincit tua fama; virumque per ora triumphans
Vel tibi conciliat populos, vel terret; & omnes
Subjicit

Subjicit Enguineo victrix innoxia terras.
Viſa loquor, quæ nec ſeclis abolere vetuſtas
Omnibus ulla queat, nec vatum adſcribere nugis.
Ut dedit illuſtres tanto victore ruinas
Ardua Thiopolis; teque intra mœnia, verſis
Mœnibus admiſit, portas confeſſæ minores;
Aërio pompam ſpeculata cacumine fama
Protinus inſonuit lituo, quo Martia regum
Facta canit terris: populos ſonus inclytus omnes
Exciit, arrectiſque inhians ſtetit auribus orbis.
Illa ubi mota virum conſpexit pectora; tollens
Clamorem immenſum, quem non mugitibus altis,
Fulmina, non blandis philomena canoribus æquet:
Victor io, dixit, victor Lodoicus; & omnis,
Victor io, victor Lodoicus, terra remittit.
Hæc ubi prima dedit rumoris ſemina tanti;
Vulgus in incertum; terras juvat ire per omnes
Præpetibus pennis, celebris decori omnia facti
Narrantem in populos, atq; ordine cuncta docentem.
Vidi egomet, quam fulguribus veſtita ſerenis
Æthere ferretur medio, tenueſque ſecaret
Prona vias. Olli non plumis omnibus aures,
Non vigiles, ut quondam, oculi: membra omnia linguæ;
Omnia vox. Ergo nimbis volat acta ſecundis
Diva loquax; & me, feſti qui carminis ala.
Borbonii herois tollam decus, inque nepotes
Viſa canam ſeros, medias jubet ipſa per auras
Pone ſequi, & Zephyros equitantem urgere volantes.
Pone ſequor, rapidiſque per invia currimus alis.
Enguineum, Enguineum Dea vox per regna, per urbes,
Omnibus ingeminat linguis. Mox ordine pandens

Singula: narrat uti ſuperis arx æmula ſurgens
Arcibus, illa ferox, & Ibero docta tot annos
Stare ſupercilio, dextra concuſſa potenti
Occubuit tandem; centenoque aggere fruſtra,
Murorumque minis ingentum, & turribus altis
Fiſa, triumphantem portis Heroa recepit.
Hinc animos Lodoici, & non imitabile robur
Exſequitur memorans; foſſis ut durat in altis
Pervigil, infeſtas ſub iniquo ſidere noctes;
Ipſe ſuis felix alta in caligine ſidus.
Ut, novus humenti quoties ſuccedit Olympo
Lucifer, ante aras acclinis volvitur heros:
Dum ſoboles æterna, æterno victima patri
Mactatur ſine cæde; palam quæ jugiter aris
Deinde ſedet, caſtriſque vigil ſtatione perenni
Inſiſtit mediis, hoſtes ſatis unus in omnes
Excubitor, clypeus ſatis unus, & omnia contra
Tela ſatis: Quo ſe princeps dum robore cinxit;
Tum, quo poſcit honos & laudum pulchra cupido,
Gloriaque innumeris circum ſtans fuſa periclis;
It volitans animæ magnæ contemptor, amatque
Irritare neces, plumbi qua miſſilis imber
Denſior, alitibuſque pluit cava machina fatis.
Sed fugiens, quoque eſt armatus numine pulſa,
Mors tetigiſſe timet: quoque hic audacius urget;
Hoc fugit illa magis, ſeſeque hoſtilibus abdens
Immiſcet cuneis, & ſtragem horrentibus infert.
Nec minus & fruſtrata canit ductoris Iberi
Subſidia: ut ducens vexilla ſub Auſtria Mello
Relliquias gentis famoſa ex clade receptas
Auxilio ſubit: at longe victricia ſigna
Aggere proſpectans ſummo, ſua credit amicæ
Terga fugæ, rurſum, & niſu vaneſcit inani.
Nec feriiſſe miſer potuit, cui nuper ademptus
Scipio, cum Mavors Ardenna ſæviit alta.

Gallicus, & fixit * regali rupe trophæum.
Hæc adeo in populos vario ſermone ferebat
Nuntia non mendax. Nam primi fulmina Martis
Regalem ad ſcopulum, & primæ decora inclyta palmæ
Haud cecinisse vacat: linguas una occupat omnes
Thiopolis. Nec abire tamen finit invida tantum
Fama decus; Divæ ſed verſicoloribus alis,
Tempore jam ex illo, vivis expreſſa coruſcant
Omnia pigmentis: Illic tibi victima ferro
Multa cadit, dux magne; tonas fatalibus armis,
Plus oculis vultuque tonas; nulloque manipli
Semineces feriente cadunt: it jugibus illic
Exundans late rivis cruor ater, & alta
Cæde natans ruit omnis, humumque Hiſpania mordet.
Talia ſuſpenſæ ſtant ad miracula gentes:
Hæc oculis, hæc aure bibunt: amor omnibus unus
Magnanimi herois; ſed non mens omnibus una,
Clade ſuper triſti: pudor hos agit, anxius illos
Corde timor pavido; hic luctus parat, ille triumphos.
Omnibus ingentis facti ſtupor. O! tibi quales,
Gallia, quam blandi generoſo in pectore motus!
Cum facunda parens laudum, tua lilia quaſſans,
Cincta tui Alcidæ palmis caput, uſque renarrans
Te tibi victricem caneret; pugnaſque, triumphoſq;
Ederet, & motum concuſſi diceret orbis
Lene fremens. At te, caput alta Lutetia mundi,
Regnatrix populorum & Majeſtatis alumna,
Ut tetigit pennis erratica Nympha, ſuperque
Templa volat Divæ, qua ſacræ molibus altis
Aſſurgunt turres, cognataque ſidera lambunt.

* *Mellonis baculum ex Rocroyenſi pugna retulit Dux Enguienuenſis.*

Verticibus geminis; fremitus ſenſere ſecundos
Signa tholis appenſa, tibi Regina trophæum,
Bellipotens, alta pendens teſtudine ſylva
Multicolor: ſenſere, & lenibus acta ſuſurris,
Sponte triumphales duxere volantia luſus
Fornice ſub medio; ſacram ceu nuper ad ædem
Cum Lupara e magna, pompa deferret ovanti,
Pæana ingeminans, quateretque undantia miles.
Exſilit interea, dominamque effuſa per urbem
Plebs omnis ruit, & victorem nuntiat aſtris
VictoremEnguineum: plauſuſque imitata ſequuntur,
Tympanaque, lituique, & reſponſantia feſtis
Æra tonant flammis innoxia. Præpete penna
Lætitia it volitans, & tecta per omnia fervet,
Perque vias. At, qua Condæa palatia ſurgunt,
Plenior erumpit: Biſſex ingentibus adſtant,
Vina antiqua cadis, riviſque perennibus undant.
Undique civis adeſt, & Baccho lætus inempto,
Mergitur: it cælo clamor confuſus, ovantum
Ante fores magnas: victorem cuncta ſalutant
Pocula, & Enguineo late loca nomine complent.
Hos Gallis animos, ea gaudia fama ciebat.
Inde ubi jam tetigit Morinos, extremaque caſtra
Victoris populi: turrito Flandria vultu
Palluit adventum. Dein tanti nuntia caſus,
Magnanimique animos herois ut audiit, imo
Quaſſa ſolo eſt, atq; urbe labans ruit omnis in una,
Thiopoli pereunte perit. Radicibus altis
Bruxellæ turres tremuere, ultroque ſuperbum
Arcibus * Enguineis inclinavere cacumen.
At tibi qui ſenſus, Regum famoſa creatrix
Auſtria: quam ſævos incendis, Iberia, luctus
Aliitis ad voces Divæ! ſuper alta Viennæ

* Enguyen, *urbs in Belgio.*

Culmina Cæſareæ, vidi tremere omnibus alis,
Ante ferocem Aquilam, atque hebeti langueſcere roſtro.
Extinctus color omnis, adunci cruribus imis:
Diriguere pedes, & vertice colla biſulco
Ardua: nec ſolem hunc potuit durare tuendo,
Intrepidis figens obtutibus; ægra reflexit
Lumina, Borboniique expavit fulminis ignes;
Sueta Jovis magni, Phœbique laceſſere flammas.
Herculeas vidi, Nereo pavitante, columnas
Intremere horrendum; celeri cum raderet ala
Nympha ſupervolitans: tandemq; Hiſpania, tandem
Eſt confeſſa metus, faſtumque animoſque minaces
Abjecit frendens, & cultu ſupplice luxit.
 Hinc alias obit atque alias Dea nuntia gentes,
Victorem Enguineum celebrans. Quocunq; feratur,
Lilia multa ſerit, terriſque educta repente
Lilia multa virent: late capita aurea tollit
Pulchra ſeges; famaque orbis fit Gallicus una.
 Poſtquam iter emenſi terras luſtravimus omnes
Aëra per medium: me ſedibus inclyta ductrix
Reſtituit propriis, at nec ſine munere; munus
Penna fuit, quam Diva ultro vocalibus alis
Deripuit vulſam, & lympha Permeſſide tinxit.
 Hac ego te, Lodoïce, tuoſque aggreſſus honores
Deſcribam populis, & facta ingentia pandam
Enguineus vates: hac te per cuncta volantem
Regna ſequar; Scythicæque premes dum cornua Lunæ,
Arduus incedens; dum triſti erepta tyranno
Sceptra manu quaties Solymæa, ſequetur in omnes
Penna vias, & aget tecum generoſa triumphos
Orbe procul toto: lauros quæſiſſe juvabit
Per palmas, dux magne, tuas: mihi cura, decuſque
Unus eris, longique ſeges mihi carminis unus.

AD ANDREAM FABRUM ORMESSONIUM
EPISTOLA
STYLO HORATIANO.
ANNO CIↃ. IↃC. LXII.

Omnibus a curis tibi dum vacat, inque paterno
Rure, libris procul & leges reſonante magiſtro,
Indulges genio, Faber, ac Septembribus horis:
Paulum ades, & voces haud longa monentis amici,
Qua tu mente ſoles, audi. Non huic ego cenſor
Obſtrepuiſſe velim, præbent quam rura, quieti;
Nec ſum adeo auſterus: ſolemnia ad otia tandem
A ſtudiis animum fas reclinare ſeveris;
Nam quidquid cures humanum, ante omnia, cura
Ut recte valeas: & ſis tam corpore ſano,
Quam mens ſana tibi eſt. Fueris tu divite Crœſo
Ditior, Auſoniæ ſtudiis Graiæque Minervæ
Viceris & Romam & florentes unus Athenas:
Quid bona tot proſunt, his ſi non uteris? uti
Qui poſſes autem, corpus cauſarius ægrum
Si traheres; quateret pectus ſi tuſſis anhela,
Et ſpueres putri penitus pulmone cruentum?
Quid tum naturæ facilis tot munera; quid ſpes
Egregiæ, quas blanda dedit fortuna, juvarent?
Id quod multa juvant auri argentique talenta,
Sole procul terris defoſſa latentibus, aut quæ
Ferrea biſſenis ſub clavibus arca flagellat.
Non tibi deliciæque domus ſplendorque paternæ;
Nec caſtæ tot opes; magno par cenſus honori,
Purum illinc fluens, & origine magnus ab alta;

At nec avi decus omne, at nec decus omne parentis,
Et tituli, & faſces, & quo tam clarus uterque eſt,
Regis amor populique, ac veſtræ publica gentis
Gratia; non morbos lenirent cuncta minores.
Nec tua, quæ multa eſt, laus propria ferre medelam
Sufficeret. Nunc illa quidem, qui ſit tuus auris
Cunque pudor, tacita gliſcens dulcedine mulcet:
Seu tibi blanditur præſens; abſentis ad aures
Seu reſonat procul, & famæ centum occupat ora.
Nam te fama loqui jam fertur; quæ tamen unos
Noſſe viroſve ſeneſve ſolet. Quæ gloria præcox
Sit licet, atque ſuos non expectaverit annos;
Firma viget tamen; & ſpeciem jam præbet adultæ.
Tu ne fide nimis; nondum maturuit: arbor
Ut tenera occultò ſurgens firmabitur ævo.
Tantum creſcenti ne deſis ipſe; labora:
At morbis fracto tibi, perpetuumque gementi,
Viventiſque tuum ducenti funus, inerti
Corpore; nec tua laus eſſet, nec grata tuorum.
Nil ſapit ægrotis. Suffundit triſtis amaror
Fercula, ſi qua adſunt, dulciſſima. Jam neque gratum
Ambolium tibi, rura licet Peneia vincat;
Nec jucunda foret Lutetia. Jam neque Taſſi
Belligerans Goffridus, amanſve placeret Amyntas;
Mæonidæ nec Muſa; tui nec Flaccus amores.
Sed quid ego hæc tecum? Nam firmis ut tibi membra
Viribus, & lætæ ſint integra flore juventæ;
Sit labor hic medicum penes. Eſt quo tendimus ultra.
Quale ſit id, paucis, Faber, accipe. Tanta miſelli
Corporis eſt ſi cura, datur ſi copia magna
Temporis huic uni, ſi magna impenditur æris:
Ut bene ſit menti, paulum advigilaſſe pigebit?

Hoc tamen eſt, hoc quod juvenum pars magna recuſant;
Nec pars nulla ſenum: hoc omnis male reſpuit ætas.
Horum aliquem Soles, ut ſummum, juſſeris octo
Quærere ſeceſſus latebras, ubi ſolus Olympo
Et ſibi rite vacans, æterna negotia tractet:
Humanaſque brevi ſecludat tempore curas.
Audis ut illepide ludos facit, atque ſalubris
Conſilii auctorem ſalibus perfundit amaris,
Inſcitiſque jocis ulciſcitur? Aſt ego, cum fas
Ulciſci foret, ac miſerum ridere viciſſim;
Indignor magis. En annis non parcitur, artus
Ut vigeant; mens ut valeat, prope parcitur horis.
O furor! eſt animæ prælata cuticula. Tanti eſt
Vermibus amplum epulum, pinguemque parare ſaginam,
Corpus eo paſcunt miſeri, mens ſpreta laborat.
Quoque minus dubites, mecum ſic collige. Magnam
Somnus habet vitæ partem, datur & ſua menſæ,
Pars etiam ludo nonnulla, & maxima nugis.
Corporis officia hæc ſunt cuncta. At nulla colendæ
Pars ſupereſt menti, vel parvula: & hæc quoq; fructu
Fraudatur quam ſæpe ſuo! Nam ſacra diebus
Si feſtis obeunda, vocat dum publicus æris
Campani ſonus; acciſi compendia victus
Exangueſque cibos ſi lex divina ſubinde
Imperat: huic caput indoluit, cor aut latus illi;
Fuſior huic alvus, nimis iſti dura; gravedo
Obſtruxit nares, minor eſt jam copia ſomni,
Splen tumet, incaluit jecur, altera bilis inarſit,
Æſtuat in venis ſanguis, pituita redundat.
Turpi deſidiæ vitiorum exercitus omnis
Suppetias venit, & ſubducit pabula menti.
Verba hodie vehemens faciis de rebus habebit,

Hæno-

Hænovius: placet ire? Nihil quod mallem, ait: at nunc
Ire minus vacat; eſt, mihi qui condixit, amicus;
Eſt, cui dicta dies, opifex; eſt, qui dedit horam hanc,
Debitor annoſus; conjux ægrotat; equorum
Claudicat alter; heri eſt axis temone revulſus.
Sontica vitandis cauſa eſt non unica templis.
Vis ut equi valeant? ſit temo, ſit integer axis?
Nil doleat conjux, non expectetur amicus,
Non opifex ullus, non debitor? alter amœnæ
Fac vocet ad ſcenæ ſpectacula: &, Eſt nova, dicat,
Fabula, noſter agit quam Floridor. Auribus ille
Continuo arrectis, quin imus? ait: Geta! Dave!
Huc aliquis. Mox jungat equos rhedarius. Et jam
Inſilit in rhedam impatiens. Regina voluptas
Sic jubet. Interea fruſtra bonus intonat altum
Hænovius, fruſtraque arctos ad ſidera calles
Admonet inclamans, ſeque & ſacra pulpita vexat.
Floridor iſti oculos & mulcet ſuavius aures.
Ipſa Dei pateat ſchola, vox ſonet ipſa docentis:
Mollerii ſchola vincet. Amant ſic paſcere ſenſus
Gens ſtulta, impaſtaſq; ſinunt langueſcere mentes.
Lucrum, fama, valetudo, nil ſpernitur horum.
Et quas menſa tulit de ſorte ac fœnore leges,
Et quas ſanxit honos, & quas Medicina probavit,
Relligio eſt violare. Tuo gratare labori,
Hippocrates, labor iſte Deum te fecit: adorat
Te, nutuſque tuos, teneræ gens pellis amatrix;
Præque tuis ſpernit divina oracula dictis.
Nam ſi gurgulio intumuit, ſi phlegmate fauces
Deciduo minimum irrauſere, humore maligno
Si turgent oculi, numerive oblita prioris
Vena incompoſitum micat, aut ſub pollice languet:
Ad medicum mora nulla. Hic alta ſede verendus

Cum trunco jacuere & inerti ſtipite rami.
Dein nova ſi trudat fruticatus germina caudex
Peſtifer; hæc animus primo vigil enecat ortu,
Haud ullam factura ſuis virtutibus umbram.
Sic viget ille, ſuique potens, rebuſque caducis
Altior; & nullo tardatus pondere, terras
Quo linquat minus, ac ſurgens mortalia ſupra
Omnia, ſe patrio tollat jam civis Olympo.
Hoc adeo numquam mens obtinet, impigra dudum
Ni ſtudeat ſibi, ni turbam ſtrepitumque peroſa
Secum habitet, totam ſemet ſibi pandat, & imos
Scrutetur penetrans ſub pectoris uſque receſſus,
Ipſa ſui judex: ſtudio nec parcat & arti:
Nec vireſque novas haurire, novumque vigorem
Abſiſtat; donec prope jam ſine corpore, ſimplex
Æthereus ſenſus, cæleſtis & aura ſuperſit.
Comere nec ſeſe, fiat quo pulchrior; omnem
Sedula nec ceſſet virtutum adſciſcere mundum,
Cæleſtem affectans cultum. Sic magnus amator
Illicitur Deus, atque animæ nova munera confert,
Ex alioque alius ſurgit decor. Hoccine tandem
Vile opus, atque operæ dignum nullius: inertes
Hoc animæ, ludos inter curaſve profanas
Depropereut, facilique has defungantur opella?
Quæ potius ſtudia, & quantum res tanta quieti
Temporis expoſcit! quo non vigilanda labore eſt!
His ego cedo libens, quivis ait; haud ita nati
Diis ſumus iratis, vivamus ſuavius. Euge!
Si tamen in ſtabulis equus eſt, hunc nec grave ducit
Viſere, nec pecudi conſtantem impendere curam;
Ut bene cum primis habito ſit corpore, neve
Quid capiat vitii. Et ſtrigiles ni mane ſonantes
Expediant famuli, peragantque in tempore cuncta;
Grande nefas fecere. Anima ſic pluris habetur

Jumentum. Hæc neglecta relinquitur, omnibus illud
Excolitur curis. Nunc vappæ aſſentior iſti:
Jure ſuam ſpernit, quando eſt tam ſordida, mentem.

At tibi, pugnantes iſtis, Faber optime, ſenſus
Gratulor, haud ignarus: id in te maxima ſupra
Extollo decora, & vili prope cætera duco.
Nam tibi quas uno cuncti dant ore, fatere,
Sint magnæ licet, huic uni concedere laudes.
Audis ingenii felix, laudatur & acri
Certans ingenio labor acer, fuſa canuntur
Labris Attica mella, & fandi copia dives.
Artibus hic Graiis quam præſtes, ille Latinis,
Commemorant: narrant alii quam carus amicis,
Quam comis cunctis & commodus. Additur oris
Egregium decus, atque augens virtutis honorem
Forma, verecundique ſales, Chariteſque pudicæ,
Et jam conſiliis ante annos utile pectus.
Hæc celebrent alii, & multa his germana renarrent.
Non ego: nam ſint vera licet, veriſque minora;
Vix tamen hæc laudum mihi ſint in parte tuarum.
Una tua eſt, præ qua reliquæ ſordeſcere viſæ,
Quod ſit prima tibi, quod cura ſit unica, virtus.
Hoc defende tibi decus, atque impenſius orna.

Sed jam rauca vocant te cornua: olentibus ecce
Jam ſtabulis emiſſa, replent latratibus auras
Agmina læta canum. Nil addo. I, teque catervæ
Redde tuæ: fremit illa, moraſque incuſat inertes,
Crebra per invitans convicia. Jam mihi diras
Abſenti cecinere, meis & verſibus. At tu
Da veniam, quod te ſit longius auſa tenere
Littera Coſſarti moroſior, & oti
Delicias turbare tui: qui tetrica quamvis
Multa, tibi ſperat tamen haud ingrata locutam.

AD CL. FLORUM I. C. EPISTOLA

STYLO HORATIANO.

ANNO CIↃ. IↃC. LXIII.

VADE, age, cœnoſæ nam quid te, Flore, moretur
Amplius urbis amor? dum Pelletarius ultro;
Dum *Vernans* ager, & tepidi Septembris amœna
Tempeſtas invitat. Habebis & hic quoque Muſas
Patroni comites: & amant his ludere Muſæ
Vallibus, Aonii quantum non culmine montis.
Jura valere jube interea: nec ſit tibi curæ
Legatis nimiis quid lex attondeat, & quid
Excerpat Libitina ſibi, quid creditor; ante
Commoda Falcidiæ juſtus quam ſentiat heres;
Quidve Trebellius huic legi, quid Pegaſus addat.
Damnoſa hæc aliis ſtudia ingratumque laborem,
Nam vetat autumnus, nec erit mora longa, relinque.
Neu te Cæſarei teneat tam dira libido
Codicis, ut genium oblato tibi munere fraudes
Tetricus urbis amator; & illis ſponte carere
Deliciis ſtatuas, cæli quas aura patentis
Purior, & læti parat indulgentia ruris.
Illic & magnus tibi Scævola, Paulus & alter,
Pelletarius unus erit: fruſtraque requires
Quidquid, vel Proculi docuit, vel ſecta Sabini;
Et Flacci quidquid cecinit, vel Muſa Maronis.
Talibus interea vives dum carus amicis,
Ne veteres contemne: hac ſunt tamen indole multi.
Et nos ut tenuem tu faſtidire popellum
Incipias, magni virtus & gratia coget

Hoſpitis. Illius quæ ſeſſitat ore labriſque ;
Ingenua ac ſincera Charis, ſcis ipſe, nec ullo
Infecta eſt faciem medicamine. Si quid erit, quo
Sive tibi faviſſe, tuis ſeu poſſit amicis ;
Officia ante tuos ibunt injuſſa rogatus.
Moribus his hodie non vivitur. Undique amici ;
Si nihil indigeas. Unum exigit uſus amicum ?
Omnis amicus abeſt. Horum te viderit unus
Ædibus in magnis, ubi te conjectet opellam
Expectare ſuam, dum fors nil tale requiris :
Te procul aſpecto, viſa ceu Gorgone, torpet.
Accedis propius ? procul avolat ocyus aura.
Poſtque fores prudens ſeſe occulit ; aut aliis ſe,
Qua datur, occultat latebris. Deprenſus in illis,
Quid ſtruat ? accedit demiſſis auribus. At ſe
Non tamen omnino tibi commodat. Eſt prope notus
Neſcio quis, quo ſe fingit gaudere reperto,
Ceu dudum quæſiſſet. Ei tum pronus in aurem
Plurima, tanquam res urgeret magna, ſuſurrat
Sollicito ſimilis. Sic te ſenſim inter eundum
Declinat. Non ſic alieni debitor æris,
Sive fide qui juſſit, amat lictore per artem
Deluſo fugere. Hæc ſimplex æquique boniquo
Conſulis, atque ſubeſſe doli nil reris. At ille
Aufugiens, & jam ratus evaſiſſe, triumphat.
Cum tibi nolentem caſuſve Deuſve reducit,
Vix ſubductum oculis ; alia cum parte recurrit
Obvius. Aſpecto gaudes, neque enim tibi quidquam
Artis adhuc ſubolet. Dextram vis prendere ? præbet
Addubitans, alio reſpectans ; verſus in omnes,
Ceu Proteus, formas ; & jam prope quærere qui ſis
Velle videtur, & antiquum ignorare ſodalem.
Miraris : ſilet ille. Aut ſi pudor eſt ſuper ullus,
Vult humanus adhuc aliqua ſi parte videri ;

Neſcio quid confuſum immurmurat ore renidens:
Dejectiſque oculis, raptim obliquumque ſalutat;
Exiliens, ut qui dirum pede preſſerit anguem.
Ipſe ſciens loquor, & ſimiles expertus amicos
Haud pridem, libuit cum viſere magna potentum
Limina, quindenis quod bis mihi contigit annis.
Nam tunc officii quamvis nullius egerem, [lam:
Nec peterem qui me in penetralem admitteret au-
Id metuens fugit tamen, ut me vidit, amicus;
Inſignis prius ille, atque inter ſummus amicos;
Et, tibi deſcripſi quidquid modo, præſtitit unus.
At tibi longe alius, corruptique integer ævi,
Præſes erit tuus. Hic vultu tibi ſemper eodem
Occurret. Qualiſque ſuis arridet amicum
Sub Laribus: talis, Luparæ ſive ædibus altis
Te videat, Lamoni ſeu vaſta per atria turbæ
Permixtum, ſeu Telleri interiora ſubire
Tentantem fruſtra conclavia; talis ubique,
Talis ſemper erit. Teque ut conſpexerit, ultro
Occurret prior, &: Numquid vis, Flore? rogabit.
Gratia ſi qua mea eſt hic utere: ſive patronum
Affari cupis, eſt ſupplex tibi ſive libellus,
Sum præſto. Has ejus voces mox facta ſequentur.
Hac ope tu (nam liber eris tunc forte negoti)
Uti ſi nolis, uti potuiſſe juvabit.
I, propera, tales quid dedignaris amicos
Segnior, & tali invitantem carmine Muſam?

IGNIS ET VENTUS.

STYLO OVIDIANO.

ANNO CIↃ. IↃC. XLVI.

SULPHUREUS nuper tumida Veſuvius ira
Arſerat, & victor ruptis fornacibus ignis

Mollio, & illatam fornacibus excoquo. Nobis
Parvulus eſt fornix illos extr ictus in uſus;
Hic dum farra manu ſubigunt, farrique tepentes
Immiſcent undas famuli; non ſegnius ipſe
Parte alia flammam exiguas accendo per ædes.
Hinc Cererem referunt humanis uſibus aptam
Nec ſatis: at ſegni ne ſit gravis uſque palato
Una Ceres; varias, quas eligat, apparo carnes,
Ferculaque, & menſis bellaria nota ſecundis.
At neque flava Ceres largas adoleſceret unquam
Lætior in meſſes, æſtu niſi fota benigno
Creſceret occulte, & toſtis flaveret ariſtis?
Vis eadem fructus, eadem educat omnia late
Poma per æſtatem. Tum ſicubi bruma recurrit;
Membra fovent ignes, & brumæ frigora pellunt.
Quid quod & abſque meo pietas frigeſceret igne?
Æternos ſuperum foveo Vulcanus honores:
Omnibus interſum ſacris: inculta jacerent
Me ſine templa, focis & inutilis ara vacaret.
Gens hominum ſupplex cum Divis munera ſolvit,
Ignem adhibet ſacris: pavitantem rite ſacerdos
Igne ſuper jugulat pecudem, votivaque flammæ
Viſcera conſumunt ſacras reddentia ſortes.
Quin etiam gratos mittit Vulcanus odores
Thure bonus liquido: calidis ſuffitibus halant
Divorum ſimulacra, & ſanctas myrra per ædes,
Accenſumque focis per me vaneſcit amomum.
Hinc lætus vapor exundat, menteſque beatas
Fumus adit, celſique pererrat culmina templi.
Sed quid parva ſequor, tibique hæc mortalia jacto?
Aſpicis æthereas arces, & lucida mille
Ignibus aſtra meis? illic mirare bicornem
Reginam aſtrorum; ſine me neque Cythia noctu
Fulgeret, niſi tantum ollidaret ignis honorem.
Nonne vides Phœbum, mundi cum cardine ſummo

Stat librata dies, rutilo temone ſedentem,
Circum & flammivomo ſalientes ore favillas,
Et flammam elata ructantes nare jugales:
Si noſtro Phœbus caruiſſet lumine, nunquam
Phœbea optaſſent obſcuræ lumina gentes.
Quin etiam, ſi penna valet, penetralia terræ
Atque imos ſcrutare ſinus. Hic aſpice clarum
Ignis opus, defoſſa auri argentique talenta,
Ingentes maſſas: cœcis pretioſa cavernis
Pondera mercator promit, ratibuſque per æquor
Credulus extremis Europam importat ab Indis.
Nec tantum hoc debet noſtris ardoribus aurum.
Quippe niſi effoſum vaſta fornace liqueſcat,
Et quas viſceribus terræ contraxerat imis
Deponat fæces; rudis indigeſtaque moles
Obſita nativis eſt ſordibus: illa camino
Cocta, meis crebro teritur Cyclopibus ictu:
Ad numeros illi multa vi brachia miſcent,
Perſonat omne antrum: donec tractabile tandem
In varias abeat lamnas, rutilumque nitorem
Concipiat noſtris excoctum viribus aurum.
Hæc ubi Vulcanus, contra ſic Æolus infit.
Irrita quid loqueris? nobis tua nota poteſtas,
Importune faber: ſoli mihi debita vitæ
Gratia mortalis: per me vitalis in omnes
Sparſa ſinus natura viget. Circumſpice, cuncti
Ore meas ſpirant auras, mea flamina cuncti
Ore bibunt. Mollis latet alto pectore pulmo
Irrequietus agens ventos, reddenſque trahenſque
Perpetuis vicibus cæli ſpirabile munus.
Haud aliter, Vulcane, tuis fornacibus auras
Accipiunt redduntque cavi, mea munera, folles
Fumanti in Lipare. Quæ ſi mea munera deſint:
Ignea vis lapſu crudelius acta maligno
Pectora conſumat. Dum ſpirant pectora, vivunt:

Spiritus humanos artus regit: intima virtus
Hæc ciet una: at ſi nullus ſuper halitus exit,
Si laqueus nodo fauces eliſerit arcto
Stringens, atque meis aditum intercluſerit auris;
Vita fugit procul, & pigros mors occupat artus.
Igne quidem Cererem mortalibus uſibus aptas:
Nec mihi nullus honos; qui frango, molæque rotatu
Vi ſubigo. Sunt & rapidis ſua commoda ventis.
Aſpice quæ ſummo conſurgit machina colle:
Ut flabris Boreæ, Zephyrique faventibus auris
Explicat ingentes alas; quibus addita vela
Suſcipiunt animas, & circum obliqua feruntur.
Saxum intus geminum, quod vix conamine multo
Agricolæ tollant bis ſex, moveantque ſubactis
Vectibus; at facili quatiant mea flamina motu.
Duram illis Cererem populorum in commoda cogo
Attritam communi hominum ſervire ſaluti.
Nonne audis, quanto tecti ſtridore laborans
Machina tota tremit? quanto frumenta fragore
Franguntur? quanto nutat domus ardua motu?
Hinc rudibus ſaxis ſenſim ſublapſa ſiligo
Fingitur in panem: venti ſi forte remittant
Nil homini cellæ, nil exundantia proſunt
Horrea, nil crudis flaventes meſſibus agri.
Protinus ad glandes, communia pabula porcis,
Jejuni redeant populi; domibuſque relictis
Nutrices repetant ſylvas, ſaltuſque reviſant
Majorum, & miſeris viduentur civibus urbes.
Si quid & arva juvas: Quid, ſi non leniat æſtus
Mitior aura tuos, tepidoque Favonius ore
Ventilet? Immodicis abſumes ignibus agros,
Areſcent ſegetes, areſcent mitia poma.
Æſtas una tibi, totus mihi ſubditus annus.
Tu potes algentes refovere caloribus artus,

Hoc tantum : poſſunt terris inducere venti
Quos voluere dies. Si juſſero, ſiccus ab Arcto
Erumpit Boreas, & concita flumina pigro
Durantur contracta gelu. Si tempora malim
Humida ſi fuſis manantes nubibus imbres :
Ad nutum madida præceps Notus evolat ala ;
Congeſtaſque nives & ſtricta fluenta reſolvit.
Si vernos placet ire dies, Zephyrum evoco : pernix
Ille volat ſigno citius, cælumque ſerenat.
Non incauta autem, neque numinis inſcia noſtri
Gens hominum, ſummis ſtatuit verſatile ferrum
Turribus, atque vagis hinc illinc mobile ventis :
Urbibus hæc magnis præſunt oracula, cives
Hinc reſponſa petunt : monet index certa futuri
Pinnula ; prædicitque viris, quæ craſtina cælum
Tempeſtas maneat, pluviæne, diesne ſereni.
Tanta eſt relligio ! Nos & genus eſſe profanum
Quippe putas ? Nullo celebrentur ſacra Deorum
Concentu, ſi venti operam conferre recuſent.
Horum poſcit opem Phœbus : ſi quando magiſtram
Exercere artem, feſtivaque carmina cælo
Tollere fert animus. Tabulis aſſiſtit eburnis
Grande ſonans : tabulis ingentibus organa ſurgunt
In teretes diſtincta tubos ; ornata cylindris
Fuſilibus ſenſim ſeries argentea creſcit
Ordine diſparili. Celeres hic pulcher Apollo
Exercet ventos, digitiſque micantibus urget
Doctum ebur. Agnoſcunt ſignum, gens garrula, venti,
Et ſeſe volucres per aperta foramina trudunt :
Garrula jam loquitur concepto machina vento,
Jam gravidis inflata tubis animaque volucri
Vivit, & in varios expirat fiſtula cantus,
Quos mutum diſpenſat ebur ; Phœboque movente

Elinguis fluidum moderatur lingula carmen,
Turbaque ventorum lætis captiva gemiſcit
Cantibus. Hic grave carmen init, ſeu murmure rauco
Mugiat æs Tyrrhenum, & Martia ſuſcitet arma:
Hic Philomelam imitans, aut fractis flexibus errat,
Aut uno modulans dat carmina longa tenore:
Sunt etiam quibus humanæ modulamina vocis
Arrident, homineſque putes dum carmina fundunt.
At fruſtra [illegible]oo per te ditata metallo
Regna canis; ſine me populis quid proderit aurum
Barbarica tellure latens? ni mitibus auris
Regna per & populos, queis tanti muneris uſus
Diſpergam: vela regam: ni flamine dextro
Uſque ſequar fretas pretioſo munere naves.
Quis dubios inter fluctus pontique pericla
Fundit vota tibi? quis adhuc altaria ponit
Mercator? Mihi litoribus cadit hoſtia totis
Plurima, me fortis dominum pelagique potentem
Vectores nautæque colunt. Ego partibus orbis
Omnibus incumbens, populorum in lucra laboro.
Namque aurum quod flamma probat fuſique metalli
Excoquitur calidis vitium natale caminis,
Induiturque novum poſita ferrugine lumen;
Munus opuſque meum eſt, ſine me tu languidus hæres:
Ac niſi perpetuo ſopitas flamine prunas
Irritent tumidi folles, animoſque miniſtrent
Semianimi, reſidemque juvem auxiliaribus auris;
Evaneſcis iners, triſtique oppreſſa favilla
Emoritur vis omnis, & irritus occidit ardor.
Talibus indoluit Vulcanus, & acrius ardens:
Experieris ait, ſine te quid numina poſſunt
Lemnia. Sic fatus, bis ſex qui forte ſecuti

Aſtabant, ſignum Cyclopibus edidit. Illi
Vicinis quibus exercent dura æra cavernis
Educunt tormentum ingens: ſtupet inſcia turba
Ventorum. Geminis muralis machina ſurgit
Vecta rotis, multo ſtridens conamine: currus
Ferratique axes ſub ahena mole fatiſcunt.
Faucibus os immane patet; quas pulvere raro
Si ſaturet fauces, & ahenea pondere magno
Addita maſſa ſuper fuerit, ferrique reſecti
Plurima fragmenta; intentat mortalibus ingens
Exitium, turreſque & propugnacula terret.
Tum ſi forte aliquis tenuem ſub fomite denſo
Immittat ſcintillam; ardet mora nulla, ſonatque
Machina: quo ſonitu cælum procul omne remugit.
Lemnius ergo illam muris obverterat altis
Triſte minans: atro jam cocta bitumina nitro
Colligit, exoneratque cados; peſtemque malignam
Ingerere in patulos tormenti grandis hiatus,
Et vaſtum os implere parat: conamina vana!
Æolus interea ridet ſecretus, & Auſtrum
Aſpiciens nutu monet. Ocyus ille per auras
Pulverem agit verrens, atque uno flamine difflat.
Mulciberum pudor accendit, ſtimulatque furentem.
Jamque ingens utrimque furor, propiorque duello
Arſerat: impatiens ſcelerum cum Jupiter ad ſe
Utrumque accivit, fierique ultricia mandat
Fulmina: nec magni fas detrectare tonantis
Imperium fuit. Unanimes juſſum ergo laborem
Suſcipiunt; operique accingit uterque viciſſim.
Æolus admiſcet ventos; queis miſſile fulmen
Irruat in terras rapidum, diroque fragore
Intonet: addit aquas prudens, nimboſque, procellaſque,
Et quicquid ſpirat gens turbida. Lemnius ignes
Sulphuraque adjungit; queis illætabile telum

Fulguret ardeſcens, lateque incendia portet.
Ergo concordes animis, prius excita tollunt
Jurgia, dum junctis conſpirant viribus. Ambo
Junxere ex illo dextras, & fœdera firmo
Strinxerunt nexu: quin & ſibi mutua jurant
Auxilia; &, flamma ſi quando torpet inani
Mulciber, illabens ſocium juvat Æolus ignem.

INGENII FAMILIA.

INGENIUM, LIBER, VOX, MEMORIA, OBLIVIO.

STYLO OVIDIANO.

ANNO CIↃ. IↃC. L.

INGENIUM.

INGENIO juvenilis honos: huic plurima vultum
Inſedit Charis, & divinæ gratia formæ
Arguit eſſe Deum, mortaliaque omnia ſupra
Tollitur aſſurgens: abſiſtit vivida flamma
Acribus ex oculis; quam non vibrantia cælo
Fulgura, non æquent Phœbei ſideris ignes.
Tantus honos Divo. Vegeto ſcintillat in ore
Plurimus, inque apices ignis tenuatur acutos,
Par linguæ, par vocis honos, par gratia geſtus.
Cælite digna manus, ſunt omnia cælite digna.
Sit frons læta licet; tamen eſt hæc multa putanti,
Multa volutanti ſimilis: neu lubricus error
Fors agat incautum, pendentem examine juſto
Libram habet; & ſi quid pravum dubiumque veretur,
Sedulus ad certam revocat ſimul omnia lancem.
Fulgentes humeris aptantur mollibus alæ.
Flammeus ut puer eſt, puero quoque flammea ſedes.
Nubila cuncta ſupra cælique in limine primo

Viſitur illa domus; nativa incendia fundens,
Perpetuiſque micans facibus: cryſtallus ubique;
Puraque lux, referens purum lux plurima Solem.
Digna Deo domus! Hic felix longa otia ducit,
Non inhonora tamen: defigit torpida nunquam
Segnities juvenem, nec in una ſede moratur.
Summa petens ruit, ima petens; & ab æthere pernix
Deſilit in terras, mox ætheris inſilit arces.
Non illum objectæ turres, non alta retardant
Mœnia, non poſtes æternaque robora ferri
Præcipitem prohibere valent: per ſaxa, per urbes
Se lapſu inſinuat tacito: nulla invia ſedes,
Invia nulla domus: planam ſibi pandit eunti
Qua tollat ſe cumque viam: perque æquoris æſtus,
Perque hyemem, portus omnes impune viator
Inviſit ſine puppe; adeo ſibi fidit, & alis.
Namque Pyreneos apices, Alpeſque ſuperbas
Tranſvolat effugiens; nec curſum Alpina retardat
Bruma, nec æternis nivibus damnata Pyrene.
Si luſtrare juvat terrarum viſcera, & imas
Sub tellure domos; oculo vivace coruſcum
Lynceus emittit radium, quo protinus omnes
Terrarumque ſinus, caligenteſque receſſus
Permeat, & regnis ſeſe nigrantibus infert.
Si revolare placet, mentique illapſa cupido eſt
Ætheieas luſtrare domos: pernicior ala
Fulminis aſſurgit ſuper aſtra, ſolique relictis
Sordibus, immenſos ſtellarum immobilis orbes,
Concurſuſque, viceſque notat, motuſque perennes.
Cælicolumque patrem, pennatæque agmina pubis.
Bina olli ſoboles: Liber altera dicitur, & Vox
Altera, nunc repetens a Libro exordia ducam.

LIBER.

IGNEUS hunc genitor plumis enititur unis,
Virgineo

Virgineo emittens in lucem & cælibe partu :
Naſcitur ille lacer primum, membriſque ſolutis ;
Hinc caput, inde pedes : ſparſa omnia, & omnia nexu
Juncta jacent nullo : nec plura in fruſta ſecabat
Abſyrtum fratrem miſero Medea parenti
Injectura moras. Volitant membra omnia libri,
Ludibrium ventis : ſi forte afflata Favoni
Aura fuit ; tolluntur humo, & fugitiva feruntur.
Quodque magis mirum eſt ; diſperſos imperat artus
Inſontis tundi genitor, crebroque domari
Verbere. Pulſat agens repetito malleus ictu
Impoſitam ſaxo ſobolem, plagiſque fatigans
Innumeris ſubigit : vicinia tota reſultat :
Et quoties ſuſpenſa manus libratur in ictum ;
Credideris toties animam poſuiſſe ſub ictu.
Nec ſatis eſt cædi : transfigi haſtilibus idem
Omnia membra jubet, genitor, cultroque ſecari.
Quin etiam miſerum vinclis ſtringique, premique
Arctatum lignis, duroque in carcere cogi
Imperat. Hinc ſuus eſt decor, & ſua gratia libro.
Nam collecti artus, & juncti nexibus aptis
Conſurgunt habilem in formam, fulgentque ſuperbo
Tegmine : longinquo pelles ex orbe petitæ
Aptantur membris, & veſtibus additur aurum.
Ipſe licet vinctus per terras diditur omnes :
Oceanumque, locis præſens ſimul omnibus unus,
Multipliceſque domos, disjunctaſque incolit urbes:
Et licet exiguus toto ſeſe explicat orbe.
Nec tamen hinc damnum patitur : diviſus in omnes
Pene manus, uni totus datur, omnibus unus.
Non timet occaſum, per quem de morte triumphant
Heroeſque, duceſque : genus licet, igneus illi
Sit licet & genitor ; ſolo formidat ab igne

Exitium : elinguis docto ſermone magiſter
Cuncta docet, belliquc artes, uſumque forenſem,
Et quidquid priſcis fuit admirabile. Talem
Ingenii fœtum, Vocis fratrem eſſe decebat.

VOX.

Vox Libri germana, Libroque ſimillima fratri
Grandior & natu, ſexu minor; ætheris hoſpes,
Eloquii præſes, genitoris nuntia, Divum
Interpres, pariterque hominum; commercia terris
Omnibus una parans, tenuis ſine corpore vita,
Nympha fugax. Olli ſunt viva palatia cunæ:
Parva quidem, ſed quæ ſepto defenſus eburno
Purpureus fornix tegit undique. Nata puella
Continuo patrios linquit fugitiva Penates:
Præpetibus nitens, quas natura addidit, alis;
Perque plagas omnes volitat: nuſquam hæret, ubique
Inſonat, auditur cunctis, neque cernitur ulli.
Et modo templa ſubit victrix, ſanctique theatri
Pulpita conſcendens, divina oracula fundit
Supplicibus populis, & ſacro flumine manat
Suſpenſos tenet unde animos: nunc ore tonanti
Terrificat ſontes, Erebumque igneſque minatur.
Nunc recreat puros animos, & ſpondet Olympi
Dulces delicias. Denſis undare videres
Ima viris, motumque inhiare ad pulpita vulgus.
Inde forum regina petit, ſcandenſque tribunal
Juridicum, legum placitis componit iniqua
Jurgia, & æquata perpendit ſingula lance:
Nunc patrona favet, nunc eſt inimica; reumque
Affligit gravibus dictis, crimenque repellit;
Et partes agit una duas. Stant ordine longo
Diſpoſiti circum civilia roſtra Quirites;
Queis Nympha auratis devinxit nexibus aurem.
Nec roſtris audita modo eſt: nemora intima ſæpe

Sylvarumque arcana ſubit, ramoſque per omnes
Exultat profuga, inque avium mutata figuras
Suave canit. Feſſus longinquo Sole viator
Siſtit iter, ſuadente Dea; viridique reponit
Membra toro, mollem qua præbet populus umbram.
Accurrunt ſævæque tigres, ſævique leones;
Miteſcuntque tigres, miteſcunt Voce Leones.
At poſtquam cecinisse piget; latitare ſub antris
Appetit, arcanoſque affectat inire receſſus.
Nil proſunt latebræ: vocalia ſaxa fugacem
Mille ſonis Divam, multaque in imagine produnt.
Ut vidit tuto non fas ſe credere furto;
Aonios volat in montes: gratatus amico
Excipit hoſpitio Phœbus, pariterque ſorores
Adventu comitis gaudent. Phœbum illa ſororeſque
Una novis animat concentibus: aſtra reſultant
Ad numeros recreata ſonis, motique choreas
Exercent ſuperi, & læti convivia curant.

MEMORIA.

Bina quidem ingenio par proles addit honorem:
Idem opibus magnis & gaza divite felix:
Unica dives opum tantarum & ſedula cuſtos,
Mnemoſyne. latebras & magna æraria ſervans.
Grandior illa quidem eſt ævo, ſed vivida ſemper
Eſt ſpecies, juvenemque refert; nec labilis annis
Eſt vigor, aut titubata ſolo veſtigia lapſant.
Sed mirere domos: humentem provida ſedem
Incolit, & vacuas uda in regione cavernas.
Aëris in campis liquentibus, humida longe
Fuſa patet regio, pluvius quam Jupiter unam
Omnibus antetulit: ſpatiis ingentibus illic
Servat opes liquidas, roriſque undæque ſupernæ

Pendentes ſublime lacus, laticiſque benigni
Jugiter undantes ſcatebras; quarum unius humor
Et cælo nubes & terris ſufficit imbrem.
Hic mons erigitur media inter nubila nitens
Aerius; cujus ſupremo in vertice mollis
Materies, duro verum ære perennior extat.
In medio Regina ſedet, ſpondaque recumbit;
Qua domus interior camerato fornice texta
Divæ ſervat opes: impreſſas pariete in omni
Aſpiceres formas rerum, faciliſque receptas
Materias cunctas naturæ artiſque figuras.
Hic ſedet ad thermas Regina: & tempus ahenis
Ante pedes vinctum nodis, fruſtraque reluctans,
Confractam quæritur falcem pennaſque reſectas:
Et circum ſtirps longa ſenis, menſeſque dieſque,
Sæculaque, inſtabilis ſoboles incerta parentis,
Alternas agitant, horæque, annique, choreas.
Qui poſtquam fluxere, palatia ad alta vocantur
Mnenoſynes, certaque illic ſtatione jubentur
Sidere jam ſtabiles: nullo diſcrimine cernas
Jungi præteritis præſentia, & omnia certo
Stare loco: ſic Ingenii vis provida ſanxit.
Heroas ſi forte mori atque occumbere fatis
Terra putat, male terra putat: nam ſedula leto
Leti Diva potens vi ſubtrahit, atque beatis
Collocat in Laribus, vita ut meliore fruantur.
Ipſe quoque hic ſpirat poſt funera victor Achilles,
Alcideſque ferox, Hic Phryx & Graja juventus,
Et quicumque ſibi vincendo nomina fecit,
Romulei, Pœnique duces: prodire parati,
Si nutu Regina jubet: nunc unus & alter,
Nunc plures adſunt, pendentque vocantis ab ore.
Huic bene credit opes, tutoque hac ſervat in æde,
Solers ingenium: at ſi quas Oblivio furtim
Surripiat, merſas Lethæo flumine perdit.

OBLIVIO.

Gurgite qua triſti tacite labentibus undis
Lenta cadit Lethe, nigriſque oblivia volvit
Fluctibus, atque inter ſomnos ſe pigra volutat:
Hic ſpelunca latet, quam nec rorantibus alis
Eurus adit, pluviuſque humectat flatibus Auſter.
Hic liquor exeſo nullus de culmine manans,
Stillanteſve cadunt humenti pumice guttæ,
Scabroſaſve rigant ſilices: procul exulat humor:
Triſtibus ignotus latebris; ſicca omnia, ſicca
Prima antri facies, antri penetralia ſicca.
Hic deformis anus cæcas Oblivio ſedes
Incolit, hic rigidos fixit Dea pigra Penates.
Huic caput exiguum: ſtricta ſub fronte moventur
Irrequieti oculi, parteſque rorantur in omnes:
Frons eſt lata parum, duro ſed durior ære:
Artus palla tegit; non certi palla coloris
Candida nunc, mox atra, viret modo, lutea deinde,
Jam flava eſt, ſpecies jam cærula; mille colores
Una trahit varios, nullum ſibi Diva reſervat.
Uritur uſque ſiti: nullas tamen ebibit undas,
Ni quas Lethæus vetulæ ſuffecerit amnis.
Lingua quidem eſt, ſed muta ſilet; talique rigata
Rore ſilet magis, & nullo Diva inſcia mittit
Ore ſonos: namquæ rebus ſint nomina neſcit.
Quod ſi forte rudi erumpens de gutture clamor
It per ſaxa, nihil tum reſpondentia voci
Saxa ſilent: ſilet & tacitis in rupibus Echo.
Ne mente effugiant, rerum ſervare figuras
Si quando eſt animus; Lethæis ſcribit in undis
Demens, & fluvio formas impreſſit inanes:
At fluctu celeri fugiunt ſine nomine formæ.
Nonnunquam ductas digito committit arenæ;
Sed triſtis Boreas inimico flamine turbat,

Omnia diſpergens. Nec ſeſe Oblivio novit,
Immemor ipſa ſui eſt: nomen ſiquando docetur
Forte ſuum, magna ſe voce inclamat in antro.
Et reperit nuſquam: poſt murmura inania tandem,
Ipſa in voce; ſui rurſum obliviſcitur, antro
Rurſum ignava jacens æterna ſilentia ſervat.

UVÆ ZEUXIDIS.

EODEM STYLO.

ANNO CIↃ. IↃC. XLVIII.

INGENS artis opus, nulliſque imitabile dextræ,
Pictor adumbrarat Zeuxis, lætuſque videndum
Præbuerat populo. Media ſtat paupere cultu
Agreſtis puer in tabula, cui ſordida circum
Uvis autumnus madefecerat ora ſubactis:
Mille patens plagis petaſus ſordentia velat
Tempora, trita fluunt laceratis tegmina pannis:
Falcula de zona pendet: quin ligneus olli
Calceus, & viles abſcondunt crura cothurni:
Dextra gerit calathum, quem frondibus umbra coronat.
Pampineis, uvæque replent de vite recentes.
Et dubites, veraſne autumnus miſerit uvas,
Zeuxis an autumni fructus æquaverit arte:
Nedum oculi, ſolus ponit diſcrimina tactus.
Talia dum magno vulgus miracula plauſu
Suſpicit; ecce tibi pennis deluſa volucrum
Turba ſupervolitat, viſæque cupidine prædæ,
In tabulam mora nulla ruit: vacuoque doloſas
Aggreditur roſtro, tunditque, & verberat uvas.
At punctu deluſa cohors procul impete magno
Avolat, & magno redit impete; captaque rurſus
Uvarum aſpectu vanos ſorbere colores

Accelerat, telamque premit: dum territa penna
Murmure, veloci liquidum ſecat æthera penna
Stridens, & ſolidas alio ſibi quæritat eſcas.
Exoritur populi clamor ſequiturque fugaces.
Interea fremitu Caveæ, plauſuque ſecundo
Elatus Zeuxis cunctos putat ire minores,
Atque ſuum miratur opus; mirabilis ipſe,
Ni foret imperfectus honos. Non integra, Zeuxi
Gloria, crede, tua eſt: pars optima rapta triumphi.
Namque ſuo ſi tela foret perfecta colore;
Num trepidas ipſo juvenis terrere volantes
Debuit aſpectu, & turbam prohibere voracem?

OCULUS PICTOR.

EODEM STYLO.

ANNO CIↃ. IↃC. XLVIII.

HUC oculos oculis propius, precor adjice noſtris.
Parva mora eſt, parvum petimus pro munere munus.
Scilicet ut videare videns; nec diſpare dono,
Ipſe meis pingare, tuis ego pingar ocellis.
Prompta tabella quidem eſt, pictorque paratus uterque:
Hinc atque hinc gemina gaudes quaſi prole beatus;
Et minor, at bina tibi vultus imagine fulget;
Quoque minor vultus, vultu mage grata venuſtas.
Dum loquor, impatiens velles labra jungere labris,
Oſcula ferre tibi: ſed cui prius oſcula mittas;
Vel tibi in hoc oculo, vel in iſto, neſcius hæres:
Dignus amore utrinque tuo es, tua divide utrinque
Oſcula, utrinque tuos offert tibi pupula vultus.
At mea quid taceo, tua dum miracula jacto:

Prodigio ſimili felix, nec diſpare dives
Effigie? Jovis e cerebro quondam edita Pallas
Dicitur: ecce tuis ſimili prope ſorte creatus,
Naſcor ego ex oculis; non me mea fallit imago.
Ipſe ego ſum. Ecquis io tenebroſos exprobet ortus?
Sordidaque objiciat vanus cunabula cenſor!
Meme oculi lumenque in luminis edidit auras:
Et mihi, quo vivam, nihil eſt niſi lumen & ardor.

UMBRA.

EODEM STYLO,

ANNO CIↃ. IↃC. XLVIII.

Hinc procul artis opus, procul hinc immobilis hærens
In tabulis pictura, & inertibus ebria fucis,
Quos longus telis labor illinit: ecce ſine arte
Effigiem ſubitam ſimulacris pingere novit
Mobilibus natura. Vides dum lumine terras
Perfundit Titan, pulſis dum regnat in orbe
Nubibus, artifici quales dat luce figuras?
Ut radians formarum opifex, quæ corpora cunque
Sunt objecta ſibi format nigrantibus umbris;
Spectra oculis jucunda ciens: radioque nitenti
Ducta licet, nobis tamen atro cuncta colore
Exprimit umbra rudis? Sed penſat damna coloris
Vivida mobilitas: nam ſi quos corpore flexus
Pernici dederis, flexus hæc æmula reddit
Continuo, ſequiturque gradum quocunque libebit.
Ipſe ego mirabar ſudo cum nuper Olympo
Soli adverſus iter carpebam forte viator;
Pone ſequi effigiem vidi, viſaque repente
Obſtupui, preſſique pedem; dubiuſque pependi.
Hæc geſtus imitata meos immota reſiſtit.

Aſpicio, flectoque oculos: avertere viſa
Eſt faciem, nec paſſa ſuos me cernere vultus.
Aufugio: illa ſequens inſtat mihi paſſibus æquis:
Neſcia ſtare loco, niſi ſtem quoque fixus eodem.
Irruo in hanc audax, repetitiſque ictibus umbram
Appeto nequicquam. Sic me ſequiturque fugacem,
Inſtantemque fugit velox: nec deſerit unquam
Fida comes; nigro faciem ni velet amictu
Delius, & vaſtam inducens mortalibus umbram
Mille umbras adimat. Mundo ſic muneris hujus
Se probat auctorem: nam ſi ſe oſtenderit orbi,
Umbræ iterum redeunt; quas aut jubet ire ſiniſtras,
Aut dextras agit, aut ſinuoſos gyrat in orbes.

MORS ET AMOR.

EODEM STYLO.

ANNO CIↃ. IↃC. LI.

IBAT ovans ſpoliiſque hominum, ſpoliiſque Deorum,
Nondum orbi letalis Amor: Stygiumq; triumphans,
Æquoreumque Jovem; victoque trophæa tonante
Omnibus oſtentans populis, tria regna tenebat.
Talia jactanti puero Mors obvia ſeſe,
Exuviiſque tumens & factis grandibus offert.
Contextis olli crates patet oſſea coſtis,
Et male juncta ſtrues, nudataque carnibus ingens
Tibia, luxatis vix hæret pendula lumbis.
Arida calva ſuper deformes oris hiatus
Pandit, & immanes pertuſa in fronte lacunas
Orbibus ereptis, terebrataque tempora vulſis
Auribus: arroſi fœda rubigine dentes
Diducunt rictus: falx illam inamabilis armat,
Et vano nunquam quæ torſit ſpicula niſu.

Stant magnis utrinque animis pugnare parati.
Hic certis fidens telis vegetaque juventa :
Hæc jaculis & falce minax. Mors ridet Amorem ;
Ridet Amor Mortem:primumque, hæc,ille,jocoſis
Majores dictis animant in prælia vires.
Sicque Cupido prior : Tu noſtris viribus una,
Obſiſtas, o victa ſitu, o effecta ſenectus !
Robore me ſuperes ? cui rex hominumq; Deumque
Concedit ? nec cedet anus. Simul illa, ſimulque
Procurrens telum impavidus jam librat in hoſtem.
Mors contra: Quid tu mortem moriture laceſſis
Pertæſus vitæ ! tua num præcurrere fata
Eſt animus ? nec fruſtra optes : en accipe pignus
Virtutis, mortemque proba. Sic fata, volucre
Contorquet telum,atque aliud ſuper addit.Utrinque
Miſſilis ingeritur grando ; ſed caſſa, ſine ictu,
Tela volant : ergo nova quærunt arma, novumque
Inſtaurant alacres alio certamine Martem :
Hic face terribilis, falce hæc armata minaci.
Veſtigat fortunam oculis Amor, atque patentes
Trans coſtas rimatus iter, cor urere Mortis
Molitur tædam intorquens ; ſed pectore nullum
Ut videt, attonitus ſtupet excors vivere monſtrum.
Deſperat vulnus, deſperat prælia, & orbi
Funeſtum cum morte agitat componere fœdus.
Parte alia magno vacuum per inane rotatu
Mors falcem immittit ; pueri nec vulnere corpus
Libari poſſe agnoſcens, inclamat Amorem,
Inclamatque Deum ! Cœpere hinc jungere dextras
Concordes Divi, nectique amplexibus arctis.
Quin etiam in pacis nunquam violabile pignus
Mutarunt arma, & morti ſua tela Cupido,
Mors ſua dat puero : diverſis ambo recedunt
Armati jaculis. Ex illo vulnus amoris
Sæpe fuit mortale, & vulnus amabile mortis.

PLANTÆ AMANTES
EODEM STYLO.

ANNO CIƆ. IƆC. LI.

ARDOR ineſt plantis etiam ſuus, arva Cupido
Sæpe colit, floreſque ſuum patiuntur amorem.
Caltha eodem Solis, quo paſcitur, uritur igne:
Luteus hinc flori tenerorum pallor amantum,
Qualem longa parent dilati tædia voti.
Nec tanto Daphnes Phœbus flagravit amore
Quanto caltha vagi ſectatur lumina Phœbi.
O ſi terrenum pondus tibi, caltha liceret
Excutere, & tardis poſſes erumpere fibris
Libera; ſufficeret celeres amor impiger alas,
Sublatamque levis Phœbeios ferret ad axes.
Heſperios Phœbus cum vergit pronus in undas
Illa ſuum Heſperias vultum, convertit in undas
Cum primos orbi redivivus detegit ortus
Illa ſuum primos vultum convertit ad ortus.
Atque ubi jam medium luſtrat Sol arduus orbem
Illa caput medium ſurgens attollit ad orbem
Sæpe ſuos Phœbus nebulæ ferrugine vultus
Obnubit: verum quis fallere poſſit amantem?
Caltha ſuum agnoſcit trans invida nubila ſolem,
Invitumque licet ſequitur, gauderque ſequendo
Sic amor, aſpectu vanum ſic paſcite amorem.
. Ecquis Idumææ neſcit miracula palmæ!
Aſpicis ut late vicinis ſtirpibus arbor
Aſſurgit gemina, & vicinis ignibus ardet.
Utraque ad amplexum ſociæ demiſſa, cacumen
Inclinat, trepidoque alludens vertice jungi
Geſtit; & implicitis ſibi frondibus oſcula figunt.
Aſpiret Zephirus: tum ſtirpe emota ſuſurrat
Blandius, atque ſuos vicinæ, narrat amores.

Sæviat immitis repetitis flatibus Auſter:
Utraque dat ſonitum ingentem, & complexibus arctis
Se gemit avulſam, raptoſque inclamat amores;
Donec in amplexus atque oſcula grata recurrat.

MARIA CUSTOS.

Longum emenſus iter, tandem loca nota viator
Attigeram, partes ubi ſe via ſcindit in ambas.
Squalidus ad dextram ſalebroſo tramite callis
Ducit ad optatos montes, & amœna Sionis
Mœnia: deliciis ubi dulce perennibus ævum
Ducitur, & læta mentes in ſorte quieſcunt.
Invitat locus, at diſcrimina mille viarum
Deterrent animos. Nitendum ſcilicet arcto
Limite, per ſcabras ducit qua ſemita rupes,
Undique in abruptum veſtigia ad omnia pendens.
Quin etiam ante oculos omne ſtatione locatæ
Apparent larvæ horribiles: hinc verbere multo
Triſte ſonans Metanœa, Fames hinc tabida vultum,
Nudaque Pauperies; atque agmina mille dolorum,
Mille cruces fixæ venientibus. Hæc via ſola eſt,
Qua fortunatum liceat ſuperare cacumen.
Lætior ad lævam ſpecies, via mollis, amœna
Planitie, celſas ducit Babylonis ad arces.
Omnibus hac iter eſt populis: ingentibus omnes
Admittique volunt ſpatiis, gaudentque recepti.
Illic deliciæ certatim, & quicquid amotum eſt
Blanditur; choreæque leves, riſuſque, jocique
Objiciunt ultro ſeſe & comitantur euntes.
Jamque viæ dederam memet, cum flore ſub omni
Occultos angues, tectoſque ſub omnibus herbis

Conſpexi colubros. Heu! quæ me numina ſervent?
Exclamo. Nec longa mora eſt. Simul æthere ab alto
Adfuit, atque manu prenſum Maria periclo
Eripuit præſens; & dextrum voce benigna
Commonſtrans iter: Hunc, inquit, duce Virgine callem
Ingredere. Anteiit Virgo: viſumque repente
Sub pedibus florere ſolum, ſubſidere viſæ
Abruptæ cautes & plano cedere dorſo;
Mellaque per totam cæleſtia currere rupem.
Hac ſequor, æternumque ſequi te, Virgo, juvabit.

IN OBITUM
FRANCISCI FOUQUET
PUERI QUADRIMULI
APOLOGIA MORTIS

ANNO CIↃ. IↃC. LII.

POSTQUAM dulcem animam liquit Franciſcus, & una
Spes magnæ cecidit deliciæque domus;
Exuviis cœpit Mors ire ſuperba puſillis,
Magnorum ſpoliis ut ſolet ire ducum.
Nec patri miſero, miſeræve occurrere matri
Pallida per mœſtos deſiit umbra lares.
Queſtibus & probris, Mortem ſi flectere queſtus,
Tangere ſi poſſent probra, fugata foret.
Sed magis hoc inſtat: crepitantiaque omnia crebro
Dant triſtem latis ædibus oſſa ſonum.
Tandem excuſanti ſimilis, ſimiliſque fatenti,
Ultima dum longæ tempora noctis eunt,

Adrepit patris ante torum, ſeque objicit ingens:
  Talibus & pro ſe dicere viſa modis.
Sola, nec inficior, tanti ſum cauſa doloris:
  Noſtra tuo tamen eſt culpa dolore minor.
Quamlibet incuſes, ego de te multa viciſſim,
  Deque tua poſſum conjuge multa queri.
Nam cur prædatrix toties, cur perfida vobis,
  Cur plena invidiæ, nomina mille vocor?
Vos mihi naſcentem puerum, ſcis ipſe, dediſtis:
  At nec dicta dies ulla, nec hora fuit.
Occidet: hæc pacti fuerat ſumma unica noſtri,
  Momenta arbitriis ipſa relicta meis.
Hæc Iſaiæ ad Pontem pepigiſti fœdera mecum,
  Hauſit ubi vitæ munera prima puer.
Quod ſcelus hic igitur, quæve eſt injuria tandem;
  Si moritur per me, qui mihi natus erat?
At quereris fato, quod ſit tibi præcoce raptus:
  Hoc quoque, quod reri vix potes, ipſa queror.
Me tamen incuſem licet, & mea ſpicula damnem:
  Error hic inſontis, culpa nec ulla fuit.
Quippe virum rebar: poſtquam ſum amplexa jacentem,
  Agnitus eſt parva tum mihi mole puer.
Si falli ſcelus eſt, merui ſcelerata vocari:
  Sed magis eſt, per quem fraus mihi facta, nocens.
Hanc puer inſtruxit; dictis mentitus ubique,
  Mentitus factis ingenioque virum.
Seu rogat aggrediens, ſeu dat reſponſa roganti;
  Ferre virum credas verba, referre virum.
Ipſe fuit luſus puero riſuſque virilis,
  Nec poterat lepidos dedecuiſſe ſenes.
Tu quoq; ſeu geſtum admirans, ſeu verba loquentis,
  Sæpe virum auditus dicere, ſæpe ſenem.
Quod ſua ſi potuit genitorem fallere proles:
  Cur ego, quod fuerim falſa, ſcelesta vocor?

Illa ego, quæ nulla dicor ſuperabilis arte,
  Nullis ante hominum victa fuiſſe dolis,
Vocibus infantis cogor decepta fateri:
  Senſibus impoſuit fraus ea prima meis.
Sæpe imitatur anus teneram longæva puellam,
  Rugoſam fuco diſſimulante cutem.
Sæpe ſenex canam tingit medicamine barbam;
  Et canas, mira callidus arte, comas.
Trans pigmenta mihi rugæ canique pateſcunt,
  Nec fallit viſus ille vel illa meos.
Unus hic, & pudor, eſt, poſt tot me ſæcula fallens
  Percutitur, dum vir creditur eſſe, puer.
Fac tamen excuſem nihil, infantiſque tenelli
  Meſſuerim primos inſidiata dies.
Quas mihi tu grates vel ſic, quæ digna referre
  Muneribus poſſes tum quoque dona meis?
Non potui pulchram pro nato tollere matrem?
  Tollere non potui funus utrumque ſimul?
Illa tamen ſoſpes, noſtra eſt ea gratia, vivit:
  Digna ſuo mulier nomine, digna tuo.
Summo digna loco, quem tot virtutibus imples;
  Et te, quæ prima eſt gloria, digna viro.
Quippe nec ingenio, placidis nec moribus impar;
  Indole te magna, te pietate refert.
Non illam a telis poterunt defendere noſtris
  Caſtellæ turres, gentis avitus honos:
Sed fervens pietas, cunctiſque modeſtia major
  Laudibus, & nullo munere victa fides.
Hæc illæſa meis ſunt viribus: his tua conjux
  Tuta, manu nunquam concidet icta mea.
Sed matura ævi, ſera tibi morte perempto
  Cum juges lacrymas, munus inane dabit;
Nocte dieque gemens ſenſim tabeſcet, & ipſa
  Extinguet luctu ſe generoſa ſuo
Quid memorem ſanctam poſt tot tibi luſtra parentem

Munere ſervatam nunc ſupereſſe meo?
Sic quamvis inimica mihi, manibuſque frequenter
Eripiat prædas imperioſa meis.
Sæpe meas ſubit illa domos, ubi triſte gementum
Ordinibus longis millia multa jacent:
Turba mihi devota, meis tranſcriptaque regnis;
Ni certam mater provida ferret opem.
Quidquid ineſt morbi, vitales admovet herbas,
Et Coo nunquam balſama nota ſeni.
Hos recreat dapibus, ſuccis vitalibus illos;
Hos dulci alloquio mitis, & ære levat.
Sic impune meas matrona laceſſere vires
Audet, & in laribus regnat inulta meis.
Et mihi, quod pueri tulerim modo funus acerbum,
Gratia ſervatæ nulla parentis erit?
Inſuper, an nihil eſt, quod adhuc tibi vivere fratres
Quatuor illæſos dextera noſtra ſinit?
Quos inter ſacro fulget Franciſcus honore,
Ille decus Volcis deliciæque ſuis.
Quem ſibi deſponſum gaudens Narbona ſalutat,
Quo Baiona ferox orba parente gemit.
Ut triplex merito quam texerit infula frontem,
Dignam tergemino nullus honore neget.
Non amor eſt veſtræ Baſilius & arbiter aulæ?
Eſt aliquis, quo non ſurgere poſſit, apex?
Una modum ponit generoſa modeſtia, & una
In meritum virtus peccat iniqua ſuum:
Fortunæ virtus in amicos prodiga magnæ;
Uni, quæ laus eſt maxima, parca ſibi.
Sæpe virum, fateor, ſeu vi, ſeu fraude petivi:
Nil mea vis, fraudes nil valuere meæ.
Major obeſt virtus; atque hunc, licet uſque recuſet,
Ad ſummum ſervant Gallica fata decus.
Nec ſolum hunc ſervant. En ut Lodoicus ad alta
Affectat pulchrum te duce certus iter.

Et nunc ille tuo quanquam de lumine fulget:
Mox tamen ex illo tu quoque clarus eris.
Hunc Boreæ ad populos regnorum arcana moventem
Vidi difficiles ire redire vias.
Nec nocui. Vidi mirantem aſſurgere Romam,
Quoſque ſacro veſtit murice Roma patres.
Nec tamen invidi, quæ pulchris invida rebus,
Et prædæ ſitiens divitis uſque fui.
Hunc etiam veſtro patior regnare ſenatu,
Qui pendere frequens ejus ab ore ſolet.
Scilicet auſcultans redivivum audire parentem
Rurſus, & illuſtres curia credit avos.
Sed vivat felix, & honos accreſcat honori,
Et non cana ſacer tempora cingat apex.
Ex Agathæ ſolio ſumma ad faſtigia ſurgat:
Et ſacra dent primum, regis & aula, decus.
Noſter erit tandem: & quo ducet longius ævum,
Hoc ſpolia extinctus nobiliora dabit.
Ille tibi abſentis pueri ſolatia præſens
Magna, nec Ægidius ferre minora poteſt.
Ultimus hic annis, nulli virtute ſecundus,
Nec ſpe, quam cœpit ſuſtinuiſſe, minor.
Mens animuſque ingens illi: naturaque ſolers,
Et facilis, decorum quo vocat aura, ſequi.
Par eſt oris honos, par illi gratia morum,
Quique caret fuco rarus & arte lepos.
Hinc amor eſt veſter: virtus his utitur armis,
Cunctorumque animos illecebroſa rapit.
Gratanturque adeo; primo quod ſidus in ortu
Te non indignum ſparſit ubique diem.
Per te major erit, poterat qui magnus haberi:
Te ſine, qui meritis creſcet & ipſe ſuis.
Has ego delicias, hæc dum tibi robora ſervo;
Quam modo defunctus vana querela, puer!

Quid, tibi quod natos ſolatia blanda reliqui,
 Et non pollicitos inferiora, duos?
Quid, tibi quod dulces patior quoque vivere natas,
 Corpore præſtantes ingenioque, duas?
Quarum quæ thalami proles eſt una prioris,
 Quam cœpit magnos urere, quotque procos!
Mox & avum faciet: faciet ſimul & tua conjux,
 Prole alia, penſet quæ tua damna, patrem.
Fœcundiſque adeo certabunt partubus ambæ:
 Sæpius anne parens, anne voceris avus.
Et natam quoties prolem lætabere, credis?
 Lætitiæ plaudam non inimica tuæ.
Nam tibi quot natos dabit hæc, quotque illa nepotes
 Præda mihi, veſtræ lex ea ſortis, erunt.
Et tu jura quidem hæc nobis conceſſa fateris:
 Jure patri natum ſed præiiſſe negas.
Scilicet incuſes, quod fonte ſuperſtite rivus,
 Quod radius, Phœbo non pereunte, fugit?
Cernis ut annoſa ſuper arbore poma leguntur?
 Et pomis arbos ſtat ſuper ipſa ſuis.
Cernis ut inclinant morientia lilia collum?
 Et flori bulbus ſtat ſuper ipſe ſuo.
Nec dotes nati egregias hic objice, nec quod
 Tam cito tam præſtans deſiit eſſe puer.
Hos carpunt ſuperi flores: hunc & tua morem
 Exemplo conjux approbat ipſa ſuo.
Illa tuis celebres viſit dum *Vallibus* hortos,
 Mollis ubi flores undique fundit humus:
Sicubi præ cunctis tollit pulcherrimus unus
 Pictura egregium verſicolore caput:
Hunc legit affectans; reliquiſque ſeneſcere juſſis,
 Ejus amat tenerum præripuiſſe decus.
Hoc Divi faciunt. Cæli viridaria ſunt hæc
 Scilicet, & flores hinc quoque ſæpe legunt.
Nec parcunt pulchris; ſed qui ſuper emicat omnes,

Sideribus properant hunc ſociare ſuis.
Quodque tibi reliquos nondum rapuere, tuorum
Quod ſupereſt terris copia tanta; favent.
Te quoque, ſi regni paterentur commoda, curis
Gallica ſi poſſent ſceptra carere tuis;
Auferrent ſuperi: ſed caræ gentis amori
Delicias ultro poſthabuere ſuas.
Te tuus ante alios cœtu pater ardet in iſto,
Tot titulis ingens ille, tuiſque minor.
Et te præſentem, ſineret ſua Gallia, vellet:
Optata in ſummis hæc ſuper una bonis.
Regni fata negant: at non ſaltem unicus illi
Poſt tam longa nepos vota negandus erat.
Hic tibi ſuffectus cælum tenet: atque paternam,
Inter avi amplexus gaudet obire vicem.
Nunc animæ ingentes (anima hic quoque ſcilicet ingens,
Exiguo poſtquam corpore liber iit).
Deliciis agitant felix communibus ævum:
Nectare nec fruitur deteriore nepos:
Omnia factus avo ſimilis: namque æthere in alto
Nec pueri fert hic ora, nec ille ſenis.
Sed ſtudiis ſimiles, ſimileſque ætatibus ipſis,
Flore ævi nunquam deficiente vigent.
Et gemis ah! demens, quod non acceſſerit ætas,
Non ſenſim patrias creverit inter opes:
Inter mille metus, morborumque agmina mille,
Perque omnes ævi lubrica multa gradus:
Luxuriæque inter ſcopulos, ſcelerumque catervam:
Quæ procerum natos perdere multa ſolent.
Non fuit hunc ſatius noſtro creviſſe repente
Munere, & exemptos tot ſemel eſſe metus?
Appulit huc infans, quo tu quoque tendis, & ægre
Quæ lacera prendes litora puppe ſenex.
Tunc ſpolium effœtæ pones ætatis; & ævi

Quo nunc iſte viget flore beatus eris.
Quæ vero invidia eſt, mortis compendia nactus
Quod breviore via præ tibi natus iit?
Quod nunc fata ſupra, caſus erectus & omnes,
Nulla timet fortis vulnera, nulla necis:
Quod ſceleri intactus, vitio nec pervius ulli:
Plena quod æterno gaudia fonte bibit.
Hoc nocui. Tu, ſi mortem accuſare libido eſt,
His incide meum crimen in ære notis:
Mors inviſa mihi eſt, natum quod reddidit omnis
Expertemque mali, participemque boni.
Hæc inſcribe, licet; noſtra ſed falce notatus,
Adverſus referet talia dicta lapis:
Crudelis pater eſt, natum qui lugeat omnis
Expertemque mali, participemque boni.
Me tamen interea crudelem dicis: & omnis
Regia crudelem, vulgus & omne vocat.
Sæpe ego me regum natos, ipſoſque recordor
Imperiis reges eripuiſſe ſuis.
At neque tot probris hominum, totque obruta diris,
Nec populis unquam ſic odioſa fui.
Quam tamen immerito! quæ tum, ne ſæva viderer,
Naturæ fuerim vix memor ipſa meæ.
Nam torvos aliis conſueta oſtendere vultus,
Huic uni faciles non inimica tuli.
Hinc mihi præſenti, ſcis ipſe, arriſit amice:
Blanditias riſus prodidit ille meas.
Quoque jocos dulces & amica crepundia ſuetus,
Hoc mortem aſpexit languidus ore puer.
Nam neque tela mihi, nec crates oſſea, nec quem
Nunc cernis, fœdo rictus in ore fuit.
Fructum decerpſit manus exarmata tenellum:
Quamque illi vultus, tam mihi blandus erat.
Talis eram, qualem aſpicies; cum liqueris olim
Diviſum in natos munus utrumque ſenes.

Nunc decus hoc celo, ne publica commoda contra,
Ante diem gratæ commoda mortis ames.
Nam mea ſi noſſes, vitæ bona nulla placerent:
Tot tibi tam duris heu! bona merſa malis.
Vivis in hoc, blandum licet applaudente, tumultu?
O expers vitæ, dum fluit, ipſe tuæ!
Hanc trahis; hac alii, te non potiente, fruuntur:
Hinc tibi quod totos atria plena dies;
Hinc tibi quod regni blandiri numina cernis,
Ambit & affatus ſplendida turba tuos.
Hi tibi cuſtodes: te captivum aulica ſemper
Agmina, ſint quamvis officioſa, tenent.
Alter adeſt præceps a rege, a patribus alter:
Ærari curas hic novat, ille fori.
His miſer aſſidue pulſaris fluctibus: ætas
Hos tibi per ſtrepitus irrequieta fugit.
Dum vitam in regis populique negotia totam
Dividis, illius pars tibi nulla vacat.
Et tibi lauta licet menſis ſint fercula: curis
Sunt condita tamen fercula cuncta tuis.
Strata licet dulces invitent mollia ſomnos:
Cura tamen ſtratis mollibus ægra ſubeſt.
Infelix! & ad hæc natum ſupereſſe volebas?
Tot crucibus quot mors liberet una, gemis?
At mea quo pluris fiant tibi munera: cerne
Quam nato fuerim non inhonora tuo.
Nemo naſcenti, viventi carmina nemo;
Certatim functo carmina quiſque canit.
Has laudes nunquam ſæclis abolebo futuris;
Spondeo; nec pueri nomen honoſque cadet.
Aſt erit æternum, mihique inviolabile nomen;
Quam tener hic obiit, tam vetus illud erit.
Tu quoque præda meis quanquam ſis debita teſis,
Par fatum agnoſco nominis eſſe tui.
Quidquid agam, natique parens in nomine vivet;

Et ſuper in patris nomine natus erit.
Talibus excuſat dum triſtis larva, jacentis
Interea tingit lumina feſſa ſopor.
Viſa quoque in-ſomnis eadem ſe ſiſtere, eoſdem
Audita in ſomnis ſæpe referre ſonos.

ARMANDO BORBONIO
PRINCIPI DE CONTY

Philoſophicas theſes publice propugnanti, Pariſiis in collegio Claromontano S. I.

ANNO CIↃ. IↃC. XLIV.

QUOD taceant Muſæ, quod laudum turba creatrix
Non eat in laudes officioſa tuas:
Ne querere, o Princeps; facis ipſe ſilentia: Muſas,
Ut primum reſeras ora, ſilere jubes.
Dum loqueris, patulas totæ vertuntur in aures,
Quæ totæ voces ante fuere Deæ.
Verum ubi deſieris; ſenſimque reſederit altus,
Pectora qui turbat, qui ligat ora, ſtupor:
Tunc iterum in linguas, iterum vertentur in ora;
Et tua centena nomina voce canent.
Hunc tibi permiſere diem; ſolidumque viciſſim
Ad tua mox repetent facta canenda diem.
Nunc diſcent, quod deinde canant; vocalia Muſæ
Numina Borbonio muta loquente ſilent.
Si laudes hodie inciperent patriſque, tuaſque;
Officerent patris laudibus, atque tuis.
Laus erit amborum tua vox: laus eſſe parenti
Clarior Armando nulla loquente poteſt.

LUDOVICO BORBONIO PINCIPI CONDÆO E BELGIO IN GALLIAM REDEUNTI POST PACEM GENERALEM.

ANNO CIↃ. IↃC. LX.

TE, pacemque, ſimul noſtris duo maxima votis
Munera, Borbonide, rettulit una dies.
Tu pacem nobis: te nobis illa reducit.
Illius pretium diceris: illa tuum.
Otia tu referas? At non ante ſolebat
Gallia victricis munera ferre manus.
Arma olim, & ſpolia, & lauros, captivaque ſigna;
Quæque ſolet Mavors fundere dona, dabas.
At nunc egregius Martis contemptor, & almæ,
Quanquam inviſa prius, gaudia pacis amans:
Te reduci comitem caſus adjungis in omnes;
Et ſternis faciles ante, præiſque vias.
Quo tibi ſolvemus meritas pro munere grates,
Pacificæque tenent quæ juga noſtra Deæ?
Non ignota tibi quondam hæc, Lodoice, fuerunt
Numina; nec ſtudiis viſa minora tuis.
Sic Phœbus jaculis inſignis, & inclytus idem
Carmine; ſic laudem Pallas utramque tulit.
Sic bello, ſic pace vales. At, qui modo belli
Totus eras, pacis mox quoque totus eris.
O bona pax! Quanquam tum pacem optare licebat,
Optabant cum te Gallica caſtra ducem.
Nunc cum te fruimur: pax eſt incommoda rebus:
Conveniunt votis te duce bella magis.
Te duce quæ noſtris non captæ viribus urbes,
Quæ non Marte tuo regna ſubacta forent?
At bene, quod nato ſervant hos fata triumphos;

Et, quem poſſit adhuc quærere, reſtat honos.
Ut quondam Enguineo, quæ vincat, regna ſuperſint;
Pareat magnanimus vincere cuncta pater.

INSCRIPTIO
REGIÆ PYRAMIDIS
PARISIIS ERECTÆ IN FORO DELPHINICO.
E REGIONE STATUÆ EQUESTRIS HENRICI MAGNI.

Ad pompam nuptialem Ludovici XIV. & Mariæ Thereſiæ Auſtriacæ

ANNO CIↃ. IↃC. LX.

QUISQUIS avi monumentum hinc cernis, & inde nepotis:
Hinc opus egregium pacis, & inde vides.
Pacem reſtituit palmis gravis alter, & annis;
Pacem alter juvenis, victor & ipſe; refert.
Munus uterque ſuis pacem dedit: alter & orbi,
Arbitriis pacans omnia regna ſuis.
Nam quod parta quies Italis, quod parta Britannis;
Sarmata quod requiem, quodque Suecus amat
Hæc Lodoiceæ pacis ſunt munera; magnum
Major avum hac potuit vincere parte nepos.
Hinc etiam vicit, ſancti quod fœdera pacti
Regius æterno fœdere ſanxit Hymen,
Quod pax ſubjecit populos, quod dedidit arces,
Fortior & Martis viribus una fuit.
Et miraris, avi celſo ſuper ire coloſſo
Quod Lodoiceus conſpiciatur apex?

SUR

SUR L'EMBRASEMENT

DE LA VILLE DE LONDRES

SONNET.

Par M. DE BENSSERADE.

Ainsi brûla jadis cette fameuſe Troye,
Qui n'avoit offenſé, ni ſes Rois, ni ſes Dieux
Londres d'un bout à l'autre eſt aux flâmes en proye,
Et ſouffre un même ſort qu'elle merite mieux.

Le crime qu'elle a fait, eſt un crime odieux;
A qui jamais d'en-haut la grace ne s'octroye,
Le Soleil n'a rien veu de ſi prodigieux:
Et je ne penſe pas que l'avenir le croye.

L'horreur ne s'en pouvoit plus long-temps ſoûtenir,
Et le Ciel accuſé de lenteur à punir,
Aux yeux de l'univers enfin ſe juſtifie.

On voit le châtiment par degrez arrivé.
La guerre ſuit la peſte, & le feu purifie
Ce que toute la mer n'auroit pas bien lavé.

DE INCENDIO LONDINENSI

EX GALLICO D. DE BENSSERADE,

ANNO CIϽ. IϽC. LXVI.

INCLYTA ſic arſit quondam Ilios: at neque reges
Auſa tamen, Divos nec violare ſuos.
Londinum meritos, quantum fuit, ivit in ignes:
Pœnaque par, noxa pro graviore, fuit.

Y

Quod ſcelus admiſit, ſcelere eſt immanius omni:
Et tantum ignoſcunt numina nulla nefas.
Nec genus hoc monſtri Sol viderat ante: nec olim
Poſteritas viſum, ſic reor, ulla putet.
Hujus ubi crevit, nec jam eſt tolerabilis horror;
Et queritur lentum terra, notatque Deum:
Serus adeſt vindex, & ſe tandem approbat orbi,
Juſſaque per certos creſcere pœna gradus.
Orta lues: mox bella: ultor furit ultimus ignis:
Quodque nec eluerent æquora cuncta, piat.

SENATUI PARISIENSI

Cum ad philoſophicas diſputationes FRANCISCI MOLÆI, *principis ſenatus filii, conveniſſet in collegium Claromontanum S. I. eidemque Muſæ carmina offerrent.*

ANNO CIↃ. IↃC. XLIV.

APOLLO MUSAS INTRODUCIT.

SACRÆ vatum animæ, mea mens, mea gloria, Muſæ,
Matres honorum virgines,
Montis honos *Clarii*: veſtro non adfuit unquam
Seges ulla verſu dignior.
Creditis? En noſtri conſedit culmine montis,
Magnæ ſenatus Galliæ,
Liligeræ Themidis numen ſpectabile, vultu
Aſtræa ſub multo redux,
Curia par Divis, mens Regis, & arbitra regni:
Utriuſque majeſtas. Tremit
Pondere ſub tanto collis ſacer. Ipſe ſerenum

Tremens adoravi jubar;
Et radii tremuere mei, pallentque togatæ
Splendore victi purpuræ.
Ergo agite, o Divæ voces, gens prodiga laudum;
Perennis & famæ artifex,
Si quis amor Phœbi, Themidis reverentia ſi qua eſt,
Et purpurati numinis;
Fundite, docta cohors, feſtum modulamen, ovanti
Quod aſtra reſponſent ſono;
Quod noſtri æternum colles, & lene frementi
Canat ipſa laurus ſibilo
Ignea progenies, ſtatis? nec pectora lætus
Et ora complevit furor?
Rectores populorum, æterna oracula mentis,
Procerumque proceres arbitri,
Una æterna manens regis mortalis imago,
Vulgare non poſcunt decus.
Auguſti decora alta novem, tituloſque ſenatus
Novena turba dicite.
Non hæc, Pierides, vobis indicta; nec iſtis
Deinceps tacenda montibus.

Poſtquam ſenatui religionem URANIA, *æquitatem* THALIA, *antiquitatem* CLIO, *dignitatem* CALLIOPE, *amplitudinem* EUTERPE, *multitudinem* POLYHYMNIA, *doctrinam* MELPOMENE, *ſapientiam* TERPSICHORE, *facundiam* ERATO, *variis variorum carminibus gratulatæ ſunt*,

APOLLO MUSAS DIMITTIT.

MAGNA quidem canitis; ſed nec miracula, Muſæ,

Minora fas erat loqui.
Nec locus hic tantum capiet decus. Ibo per omnes
Viator illuſtris plagas:
Dumque diem ſpargam terris; regalis honores
Ubique ſpargam curiæ,
Et radio pictore loquar. Sint omnia regna
Tantæ theatrum gloriæ.
Hanc & longinqui domus audiat invia Nili;
Fluctuque Ganges divite
Extremus fluviorum; & qui Braſilæa perenni
Pacificus argento rigat
Arva; peregrinæque Japon meta ultima navis.
Ite, ite Divæ præpetes
Qua mare, qua ſola culta patent, populoſque per omnes,
Verſu volantes alite:
Ferte procul magni decus immortale ſenatus,
Caſtæque florem purpuræ.
Hunc vetus, hunc unum reſonet novus orbis; uterque
Tanta minores gloria.
Huic veſtræque fides, & ſerta heroïca lauri;
Huic laureata ſerviat
Curia Muſarum: numerumque auctura, decuſque,
Non integro Themidem choro
Adjungat decimam; dominamque agnoſcat Apollo.
Valete felices Deæ,
Non veſtro præerunt poſthac mea numina monti;
Sororibus præſit ſoror,
Uno nata minor patre: Muſarumque ſenatum
Sola regat æternum Themis.

PETRO SEGUIERIO
FRANCIÆ CANCELLARIO,

Cujus in ſtemmate ſtella &c.

ANNO CIↃ. IↃC. XLIII.

QUI me, qui ferit aureis
Demulcens oculos luminibus decor?
O faces! geminæ faces!
O, & ſideribus ſidera, & igneo
Factura invidiam polo!
An binum geminis ſidus ab ardui
Parnaſſi radiat jugis,
Et ſacris animos entheat ignibus?
Aut erroris amabili
Mens deluſa dolo eſt, aut Seguierii
Fulgent ſidera ſtemmatis;
Ante & ſtelliferi fornicis atria,
Et cunabula temporis,
Summi ficta manu ſidera principis;
Phœbes ante rotas vagæ,
Germanique rotas ante Hyperionis,
Flammis aucta perennibus.
Quæ non curriculis aut oriens fuget
Titan, aut revocet cadens,
O nobis furias inter, & æquoris
Crudeles tumidi minas,
Bellanteſque Notos, lucida ſidera:
Magnæ ſpes ratis haud minor.
Non ſic conſpicui, quos olor edidit
Furto Jupiter inclyto,
Et functos ſuperis ignibus addidit
Nautis præſidium ac decus,
Germanis facibus Tyndaridæ micant;

Dum verſo ſalis æquore
Creſcunt Æoliis prælia fratribus,
Syrtes inter inhoſpitas;
Jactatoſque ſalo, nec meritos mori
Fauſtis luminibus beant.
Sic, o, dulce decus, lucis & aureæ
Tractus ſpargere amabiles,
Ignes propitii pergite. Temporum
Sic veſter ſuperet minas,
Æternoque decor lumine fulguret.

IN ITINERARIUM
LUDOVICI LOMENII
BRIENNÆ COMITIS.
PARODIA PHASELI CATULLIANI

ANNO CIↃ. IↃC. LXII.

Libellus iſte, quem ſtupetis aulici,
Ait fuiſſe codicum breviſſimus:
Nec ullius tumente mole codicis
Nequiſſe major ire; ſive ſenſibus
Libros decet putare, ſive vocibus.
Et hoc negat ſuperbus ampla Livii
Negare ſcripta; principiſve Tullii,
Terentiive, melleive Cæſaris,
Et incluti Nepotis, & Paterculi.
At iſte nunc libellus, una vix fuit
Et altera ante pagina, unico mihi
Frequenter alterove lecta ſpiritu.
Caput Lutetia orbis, alta Lupara,
Tibi hæc fuiſſe, & eſſe cognitiſſima
Ait libellus: & ſuperbam originem

Tuis habere gloriatur a typis,
Tuo profectus evolaſſe de ſinu.
Et inde per tot ampla regna, Lomeni
Decus tuliſſe; Eoa, ſive Atlantica
Nataret æquora; utriuſque ſeu ſimul
Cubile ſolis hinc & inde viſeret:
Nec ignis eſca, nec cucullus Indicæ
Fuiſſe mercis; ante ſit focum licet,
In ultimaque ſæpe lectus India.
Et hæc fuere, eruntque; nam ſit amplior,
Tuæque ditat urbis elegantias
Gemelle Romule, & gemelle Romuli.

DE PARODIÆ MORA

EPISTOLIUM.

PHASELUS ille, quem Catullus edidit,
Tibi, Brienne, quod videtur elegans,
Quod hunc amaſque perditeque deperis;
Proboque, gratulorque: ſed parum placet,
Quod æmulator hujus eſſe carminis
Te id imperante cogor, ejus & modos
Sequi canendo; deſueta ſit licet,
Camœna pridem, & hujus elegantiæ
Facetioris immemorque carminis.
Et exigis ſeverus uſque creditor
Iambum, eumque, deſit ut nihil, merum:
Tibique dicis hacce luce debitum
Nec id negamus: imo ſi nec eſt ſatis
Bis obligaſſe ſponſione me tibi,
Ter id quaterque ſpondeo: at moram dari
Brevem repoſco, quam negare ſit nefas:
Atrocioris eſſet iſtud ingeni.
Vale ergo, dum incaleſcat, & brevi obſequens
Meam Camœna liberet tibi fidem.

IN EFFIGIEM
EJUSDEM BRIENNÆ COMITIS,
ITINERARIO PRÆFIXAM.

ANNO. CIↃ. IↃC. LXII.

MAGNUM opus! Europam includis, Brienæe, libello.
Te brevis includit pagina: majus opus!

AD EUNDEM

EPISTOLIUM AN. CIↃ. IↃC. LXII.

DAT Coſſartius inclyto Brienno
Paucis hendecaſyllabis ſalutem:
Et ſupplex rogat; ut volumen iſtud,
Sit juſto licet amplius, tumenſque;
Sit forſan nimis inſolenſque moles;
Trans Alpes celeri volare curſu
Mandet, alipedeſque per veredos
Sanctam protinus uſque mittat urbem.

FINIS.



CELSISSIMO PRINCIPI

FERDINANDO

EPISCOPO PADERBORNENSI

COADJUTORI MONASTERIENSI

COMITI PYRMONTANO

S. R. I. PRINCIPI

LIBERO BARONI DE FURSTENBERG,

Carolus Ruæus e Soc. Jeſu.

FVit, CELSISSIME PRINCEPS, *Gabriel Coſſartus adeo non amans publicæ laudis ac lucis: ut injuriæ duceret loco ſollicitari ſe ab amicis interdum, ad hos juvenilium ſtudiorum & humanioris doctrinæ ſuæ fructus in commune conferendos.*

Nam præterquam quod ei minime placebant ſua: peræque, & multorum hominum oderat plauſus, & nonnullorum faſtidium. Quibus utique vitiis etſi carent judicia ſapientum: eos tamen intelligebat eſſe vulgo ejuſmodi; ut eorum ambire gratiam, viro præſertim libero & extra omnem fortunæ aleam poſito, nimis operoſum duceret. Qua re cum is antea deterrebatur ab audiendis amicis: tum ego, ex quo vivere deſiit, invitari & quaſi compelli ſum viſus, ut honeſtæ eorum poſtulationi cederem, & unum te præ cæteris patronum adſciſcerem carminum illius & orationum.

Vnus quippe occurris ex omnibus, in quem hæc tria conveniant: ut neque aſpernari plauſus tuos, neque faſtidium timere, neque gratiam emendicare apud te debuiſſet; ſi potuiſſet ad colligenda vulgandaque opera animum unquam appellere. Erat ille abhinc annos aliquot laceſſitus a te beneficiis; adeo non opus erat ambitu, quo nominis tui patrocinium obtineret: totumque illum captationis laborem ultro ipſi remiſeras; cum e laborioſa Conciliorum editione reſpirare incipientem muneribus ante recreaveras quam verbis, & futuræ benevolentiæ fidem præſenti beneficentia certam feceras.

Atque id ſane majus eſt omni admiratione: quod quanta contentione animorum literatos homines videmus quærere ſibi aditum ad Principes; eorumque in gratiam, qua juſtis obſequiis, qua vanis aſſentationibus adrepere: tu tanto ſtudio tantus Princeps quicquid uſquam eruditorum eſt, aut benignitate ad te allicis, aut in extremos Europæ angulos liberalitate convenis; omnes, etiamſi gente ſtudiiſque diverſos, amplitudine voluntatis tuæ & magnitudine animi complecteris. Belgæ, Galli, Batavi, Germani, depoſuiſſe videmur inimicitias in ſinu tuo: habitamus apud te concordes: dumque bellorum incendio vaſtantur ſpolianturque provinciæ, donis reficimur tuis ac ditamur.

In quo, CELSISSIME PRINCEPS, *id mihi præſertim occurrit ad laudem tuam eximium: te ſic Veſtphalis tuis, & Germanis popularibuſque Muſis delectari; ut Latinas præcipue ornandas ſuſceperis. Sive hoc tibi duxeris ad gloriam illuſtrius: partem eruditionis, etſi per ſe clariſſimam, vitio tamen temporum obſcuriſſimam, & ſæpe jactatam aulicorum ludibriis, e contemptu ac tenebris in lucem ac dignitatem vindicare. Sive, quod potius arbitror, ampliorem liberalitatis materiem quæſieris: non ſingularem aliquam, aut artem, aut nationem; ſed artes omnes, omnes Europæ na-*

tiones; quarum commune ac prope jam unicum lingua Latina vinculum eſt, amore beneficiiſque complexus.

Neque vero inſcita eſt, ut ſæpe eſſe Principum ſolet, liberalitas tua. Literas illi, quarum vim per ſe ipſi neſciunt, in aliena eruditione venerantur: & ignorantiæ probrum, aut redimunt muneribus, aut literatorum amore diſſimulant. Tu Principibus maximis, antiquitate generis, amplitudine ditionis, ſplendore virtutis æquandus, non eges quidem literatorum præconio: ea re Principibus anteferendus: plurimis; quod humanis diviniſque doctrinis excultiſſimus, nec literatos timeas.

Qualem enim quantamque tibi gratiam habitura eſt erudita poſteritas? Quam tui mentionem facturi ſunt annales: ſive Italiæ; cujus e ſinu, florentem te Pontificis optimi maximi præcipua gratia communique exiſtimatione hominum, ad Veſtphaliæ ſalutem ac felicitatem procurandam patria caritas abſtraxit: ſive Germaniæ; cujus regionem nobiliſſimam, publicis monumentis ornatiorem, virtutum tuarum documentis ſanctiorem, pace quantum in te fuit tutiorem reddidiſti: ſive Galliæ; cujus exercitus ac duces, pro tua illa ſingulari, inter mutuas potentiſſimorum principum diſſentiones, animi ac ſtudiorum æquitate, toties opibus recrea-

ſti : ſive Europæ totius ; cujus præcipuis in partibus alis munificentia tua bonas artes : bonarum ipſe artium tanto juſtior arbiter , quanto longiori uſu quicquid in iis laboris atque ſuavitatis eſt jamdiu percepiſti.

Quo fit , ut hæc tibi opuſcula confidentius offeram , etſi Gallorum plena laudibus. Novite, CELSISSIME PRINCEPS, *non modo ſtudioſum illius elegantiæ , quæ ineſt huic libello varia ſane ac multiplex : ſed virtutis etiam æſtimatorem æquiſſimum, quæcumque demum illa ſit , & ubivis gentium nata. Quod ſi nec ſatis tibi operis dignitas , nec aliis hominibus argumenti ratio probabitur : probabitur , ut ſane confido , tibi perinde ac cæteris , hoc mea , ſive pietatis in Coſſartium , ſive erga te obſervantiæ , quantum ex æternitate nominis tui conjici fas eſt , immortale monumentum. Vale.* LUTETIÆ *Pariſiorum , Kalendis Juniis , Anno* M. DC. LXXV.

AD
EUNDEM
CELSISSIMUM
PRINCIPEM.

SUNT aliquid Muſæ, nec vana eſt fabula Pindus,
Quique poëtarum perluit ora liquor.
Scilicet hinc veniunt vires, & gratia fandi:
Hinc animi veniunt, & ſacer ille furor.
Præcipue digna Princeps ſi laude ferendus,
Qui Phœbum, & doctas ornet, ametque Deas;
Aut adeo egregium ſi quis celebrare poëtam
Ingreditur: prono navigat ille mari.
Muſa ſuos illi fontes ſuaque antra recludit,
Ipſaque cantanti pectus, & ora movet.
Seu Muſæ officio certant, vincique merendo
Haud decet; atque artes qui coluere ſuas,
His ſua cantandis impendere numina gaudent,
Atque iſtam meriti poſſe referre vicem.
Dicere ſeu magnum verſu pudet impare vatem,
Excitat & vires ingeniumque pudor.
Sive operi miſcet ſeſe: geniumque miniſtrat
Qui canitur, laudi ſervit & ipſe ſuæ.
Seu quia laudari ſeque & ſua munera credunt
Pierides, vatem ſi quis ad aſtra ferat.
Hinc placito lætæ aſpirant facileſque labori;
Durior ad laudes nec venit ulla ſuas.
Fallor? an hæc nuper manifeſti ſigna favoris
Aonidum nobis turba vocata dedit?
Cirrhæum nemus & doctas accedere ſedes,

Prima ſub autumni tempora, viſus eram.
Pierides, dixi (ſic flores lædere veſtros,
Et nemora, & lauros hæc quoque parcat hyems)
Carmina Fernando, Paderæ qui poſſidet arces,
Amiſius primo qua fluit amne, peto.
Vos modo, quæ poſſint argutas ire per aures;
Vos mihi Fernandus quæ legat ipſe, date.
Scimus enim (nec vos fas eſt neſcire, Camenæ)
Pieria quantum nomen in arte gerat.
Nec modo muneribus vates ingentibus ornat,
Veſtraque præſidio ſacra opibuſque fovet:
Ipſe etiam veſtris admovit fontibus ora,
Et Princeps dici nomine vatis amat.
Hunc celebrare, juvet, veſtri qui gloria montis:
Illius auſpiciis ſolvere vela juvet.
Tantum ſi placido cernet mea carmina vultu,
Meque locum vates inter habere ſinet,
Quos amat, & docto quibus eſt jam carmine dictus;
Ipſe quibus genium, materiamque dedit:
Qui modo inexpertæ vix me auſim credere luci,
Sidera ſublimi vertice ſumma petam.
Deſieram: accurrunt gemino de vertice Muſæ.
Omnibus ex humero plectra, lyræque ſonant.
Protinus: O felix vates operiſque viæque,
Auſpice qui tanto limina noſtra petis!
Carmina Fernando nam quis neget? hic tibi Pindum
Conciliat, noſtro jura dat ille choro.
Ergo age: namque dabunt noſtri ſua munera colles,
Et fluet ad nutus Pegaſis unda tuos.
Vix ea: procerum mons inclinare cacumen.
Et molle aſcenſu pandere viſus iter.
Ingredior, medium turba cingente ſororum:

Ipſe manu ducit per juga celſa Deus:
Perque hortos ſemper virides, vocaliaque antra,
Et gelidos fontes, lauricomumque nemus.
Spumantemque ſacro præbet cratera liquore:
Ipſa ſuam præbet Calliopea lyram.
Extemplo afflatæ menti ſacer incidit ardor:
Et fuit in noſtro grandior ore ſonus.
Jamque ego Fernandum Phœbo præeunte canebam;
Ut genus a magnis nobile ducat avis:
Quos habuit, bellique duces, rerumque magiſtros,
Nomina nunc etiam Teutonis ora colit.
Hauſerit ut fauſto communem ſidere lucem;
Ut puerum gremio foverit alma Charis:
Alma Charis, cui mellifluæ facundia linguæ
It comes, & liquido ſparſus odore lepos.
Imbuit hæc tenerum cæleſti nectare pectus;
Et roſea vultum finxit, & ora manu:
Ipſa dedit fandique artes, arteſque placendi:
Et ſua Caſtaliæ dona dedere Deæ.
De quibus una, comam pueri dum fronde recenti
Necteret: Aonidum gloria, dixit, eris:
Inclita te virtûs, & aviti ſanguinis ingens
Gloria, te patriæ publica vota tuæ,
(Certa fides) quondam rerum ad faſtigia tollent:
Quidquid eris, Muſas tu modo ſemper ama.
Nec velut indecores Heliconis deſpice lauros:
Iſta tuas poterunt ſerta decere comas.
Inde etiam magni velarunt tempora Reges,
Et placuit noſtro lecta corona jugo.
Utque alios taceam: vates Auguſtus amavit,
Tractaſſe Aoniam fertur & ipſe chelyn.
Ille tamen mundi ingentes flectebat habenas.
Quid nunc Urbano grandius orbis habet?
Hic vatum antiſtes, triplicique inſigne tiara
Gaudet

Gaudet Apollinea cingere fronde caput.
Hunc ſequere, & preſſis figens veſtigia ſignis,
Quondam iſto dignum te quoque finge gradu.
Deſierat: læto Pindus dedit omnia plauſu,
Annuit & motis laurea ſylva comis.
Scilicet hinc puero dilectæ ante omnia Muſæ;
Iſque etiam vires tempore cepit amor.
An memorem primo juvenis quæ luſit in ævo
Carmina, cum dulcis venit in oſſa calor?
Quæque canit, quoties rerum moderamine feſſum
Otia Muſarum, nunc quoque grata, iuvant?
Quantus ineſt numeris decor, & facundia linguæ
Auſoniæ! qualis ſpirat ubique lepos!
Vix ſe alias meminit Romana Elegia locutam
Purius, aut propriis plus nituiſſe bonis.
Seu te, magne Fabi, Tarpeia in ſede locatum;
Teque novo lætam præſide Roma, canit.
Seu memorat placidas Fernandi Cæſaris artes,
Protegat ut Muſas, qua regit arma, manu.
Carmine ſeu facili dulces affatur amicos:
Seu leve, majoris ſeu movet oris opus.
Nec tenui fertur penna, te, Flacce, per auras,
Dum ſequitur, Latiæ fila movetque lyræ.
Dumque tui, Verona, modos imitatur alumni:
Cuncta velut tincto nectare verba madent.
Nunc quoque cum brevibus numeris pro tempore ludit;
Ut claudunt apti ſcripta iocoſa ſales!
Quid dicam, ut patrio mœſtus cum dona ſepulcro
Amiſij ad ripam lacque, merumque daret:
Sylveſtrem ſtupuere imo ſub gurgite Muſam
Naides, & tacita combibit amnis aqua.
Qualia Sicelides Muſæ cecinere, Bionem
Ut tumulo flentes compoſuere Deæ.
Qualia, formoſum cum ferret ad æthera Daphnim,

A a

Andinas cecinit Tityrus inter oves.
Salve heros: te nulla, decus Federice tuorum,
Immemori condet poſtera nocte dies;
Inſignem meritis, propriæ neque laudis egentem:
Uſque etiam nati carmine notus eris.
Illum etiam ſtupuit cantantem Roma; tibique
Invidit tantum, Teutona terra, decus.
Tuque adeo, magno præeras qui maximus orbi,
Chiſiadum, & Senæ maxima fama tuæ:
Cui quondam varium ipſe ſuos, in flore juventæ,
Detulerat faſces, & ſua regna chorus:
Tu quoque divinum vatem miratus; & aures
Carminibus potuit ſæpe tenere tuas.
Nec magis ingenium juvenis te cepit, & artes
Quæ decus in claro ſanguine majus habent;
Quam pietas, & juncta fide prudentia rerum,
Quæque inerat vultu gratia, quæque labris;
Et penitus mira tincti dulcedine mores:
Hinc tibi præcipuo junctus amore fuit:
Quem penes arcanas animi deponere curas,
Quicum partiri gaudia ſuetus eras.
At tibi ne Tybris, Fernande, atque Auſonis ora:
Ne placeat tantum: ſis licet Urbis amor;
Et te Roma ſuum quavis mercede Quiritem
Eſſe velit, patriæ reſpice vota tuæ:
Quæ vocat, & vacuas Paderæ tibi tradit habenas.
Ergo age Veſtphaliam, nunc tua regna, redi.
Et populis, tota abſentem qui mente requirunt,
Exoptata ſui Principis ora refert:
Amiſius pronam inclinat tibi cernuus urnam,
Et famulas læto murmure fundit aquas.
Tu vero ante alias fortunatiſſima tellus:
Hoc tuus ad cælum præſide ſurgit honos.
Hic florere tuis doctas jubet urbibus artes,
Mitibus hic ſtudiis otia tuta facit.

Ac ſævo nimium diſcors Germania motu
Dum quatitur, fines pax fovet alma tuos.
Interea legeſque tuas & ſacra tuetur;
Et te Fernandus, qua potis, ornat ope.
Et decorum clara inſtaurat monumenta tuorum;
Rurſus & in lucem pene ſepulta vocat.
Ire juvat fonteſque tuos, & flumina, & arces
Et Paderæ circum viſere rura juvat.
Ornatuſque novos ſpectare, operumque laborem;
Quæque refert niveus facta vetuſta lapis.
Et legere antiquæ paſſim veſtigia laudis,
Ætatis poſito juſſa nitere ſitu.
Hic Varum Arminio ſtravit duce Teutona pubes,
Italus hanc miles ſanguine tinxit humum.
Hic Aquilas victor geminas, inſigne triumphi,
Et ſpolia Auſoniam non referenda tulit.
Hic ille eſt Latiis celebratus Luppia faſtis:
Hic ſita majoris caſtra Neronis erant.
Carolus, Hectoridum dux alta a ſanguine Regum,
Saxonis hic forti contudit arma manu.
Perleget, & patriæ lætus decora inclyta diſcet
Veſtphalus, inque ſua non erit hoſpes humo.
Perleget & varias quicumque inviſere terras,
Et luſtrare oculis mira viator amat.
Quæque ſuis fuerant fama vix cognita terris,
Orbe procul toto nobile nomen habent.
Invidioſa ætas conſumat ſaxa licebit,
Marmora nec leti conditione vacent:
At numeri vivent inſcriptaque carmina ſaxis,
Nec fati metuunt hæc monumenta vices.
Scilicet hæc chartis eadem commiſſa legentur,
Quam late gemino terra ſub axe patet.
Nec jam fama minus Paderæ monumenta loquetur,
Quam Pharii quondam quæ ſtatuere duces.

Hæc tua laus Fernande; tuo ſic munere vivet
Æternum Padere fama decuſque tua.
Sic patriæ dicere pater neque juſtius ullis
Adſcriptus meritis nominis hujus honos.
Hæc ego condebam numeris, & pura parabam,
Implebatque ſinus aura ſecunda meos.
Forſitan & viridem potui ſperare coronam:
Hoc meruit certe qui mihi carmen erat.
Venit pullatis cæli per inania bigis
Fama, ferens triſtes ore gemente ſonos.
Qualis per populos ingentis conſcia luctus,
Nuntia vel magni funeris ire ſolet.
Suſpicimus. Flos ille ſui Coſſartius ævi
Occidit heu! cineri ſolvite juſta pio.
O qui tum gemitus, quæ toto monte querelæ!
Sacra procul mœſtis vocibus antra ſonant.
Caſtaliam Muſæ turbarunt fletibus undam,
Flevit & abjecta Cynthius ipſe lyra.
Ter voluit cœptum Fernando exolvere munus;
Ter gravis excuſſit carmina læta dolor.
Nec luctu in tanto ſubeunt niſi triſtia verba,
Nec niſi lugubres dat lyra pulſa ſonos.
Tum me reſpiciens pariter tua fata gementem
Magne vir a tenero qui mihi cultus eras:
Nunc lacrymis opus, extremum nunc, inquit, honorem
Funeris heu! multum flebilis umbra petit.
Hæc Phœbus, caroque inſtaurat funus alumno,
Et me ſuſceptum rumpere cogit opus
Da veniam Fernande, pioque ignoſce dolori
Apta magis veniet laudibus hora tuis.
Tu quoque, cum triſtis veniet tibi fama, dolebis:
Nec renues noſtris luctibus eſſe comes.
Quique patrocinio Muſas, operataque Muſis
Ingenia, ipſe chori duxque, paterque, foves;

Et,

Et, quos iſta tulit præſtantes artibus ætas;
Expertes ſtudii non ſinis eſſe tui;
Hunc flebis certe. Nam quem, niſi vera fateri
Invidia eſt, habuit Gallia tota parem?
Ac, niſi cana ſinu miramur ſecula tantum,
Atque premunt verum nomina priſca decus;
Forſitan & veterum laudes æquaverat, arte
Quos multa inſignes fama per ora vehit:
Innumeras uno cohibentem pectore dotes
Varronem ſtupuit maxima Roma ſuum,
Illius & docto Latium pendebat ab ore
Dum ſtudiis Latium ferret ad aſtra caput.
Talis erat Gallos inter Coſſartius: olli,
Talis honos, nullo non tribuente, fuit.
Ingenio nam quis complexus plura capaci?
Excultus ſtudiis quiſve tot unus erat?
Huic rerum natura, huic & longæva vetuſtas
Explicuit totos, quam ſpatioſa, ſinus.
Sancta illi Sophie dederat cognoſcere, Divum
Quæ pater æterna condita mente gerit.
Munera quid Latiæ referam, Grajæque Minervæ?
Quidve tuis, Solyme, fontibus hauſta loquar?
Et quæcumque homines, vitæ mortalis iniquis
Incluſos ſpatiis, diſcere fata ſinunt?
Non tamen huic plenum metiri contigit ævum,
Et nive vix prima tempora canus erat.
Nec minor ingenio virtus, incoctaque recto
Pectora: doctrinæ par quoque candor erat.
Longe illi faſtuſque graves, & ſpiritus æquo
Altior, atque opibus mens tumefacta ſuis.
Hæc ego de multis: memorabunt cætera vates,
Carmina, Coſſarti, qui tibi juſta ferent.
Ultima nam ſolvent extincto munera vates,
Quorum dulcis amor curaque vivus eras.
Conſtituet tumulum magni Santolius oris,

Cui ſacra Pierio pectora ab igne calent.
Carminaque inſcribet memorem teſtantia mentem:
Huic quondam ad Cirrhæ limina ductor eras.
Nec tibi tenuis honos a tali accedit alumno:
Proximus antiquis vatibus ille ſubit.
Ad tumulum feriet Dircæo pollice chordas
Perrerius, geminæ nobilis arte lyræ.
Atque alius volucri ſcandentem ſidera curru,
Et cæli invectum lucida templa canet:
Doctorum manes lætis ubi ſedibus æther
Excipit, & merita gloria ſede locat.
Hunc tu præcipuo vatem complexus amore es:
Hæc dabit ille animi pignora clara ſui.
At fletus removete, jubet Coſſartius; & ſe
Urgeri lacrymis umbra beata vetat.
Credimus! an triſtes ipſe hoc ſolatur amicos
Carmine, divinum fundit & ipſe melos?
Ut numeri dulces! quæcumque eſt vox ea, certe
Mortali quiddam doctius illa ſonat.
Tu vocem, Commire, atque hæc tu carmina præbes:
Ore loqui gaudet nobilis umbra tuo.
O mihi dictarent faciles ſi talia Muſæ,
Manibus aut poſſem ſcribere digna tuis!
At, mea, Coſſarti, dum rumpant ſtamina Parcæ,
Tuque tuuſque meo pectore vivet honos.

JOANNES MARTINIUS S. J.

Digitized by Google

Digitized by Google